ÆMILII GENTILIS

EPISCOPI ALLIFANI

DE BENEFICIIS, ET JUREPATRONATUS

TRACTATUS

Ad judiciorum praxim, et civilem quoque Politiam accommodatus.

PARS I.

NEAPOLI

Ex Officina VINCENTII MANFREDII

SUPERIORUM PERMISSU.

MDCCXCVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

QUod jamdudum in Praefatione meae Theorico-Praxis promiseram, nempe editionem mei syntagmatis de beneficiis, et jurepatronatus, libenter nunc adimpleo. In eo breviter quidem, sed accurate (ni fallor) concinnato, atque ad judiciorum praxim, et civilem quoque politiam accommodato, nihil praetermisi, quod tibi pro tuo gustu in re beneficiaria, et usu in foro tum ecclesiastico, tum laico prodesse possit. Accipe, benevole Lector, pro tua humanitate hoc qualecumque meum opus, et, si quid fortasse erratum sit, da veniam. Pauca tamen addas velim, ubi agitur de examine concurrentium ad beneficia curata, ut ejusmodi tractationem integram habeas. Quae adjicienda censeo in pag. 34. hujus Primae Partis post versum 22., haec sunt.

Sententia fere omnium doctorum, qui absolvi posse negant examen in beneficiis curatis, si, qui nomen dederint, non omnes comparuerint die in edictis praestituta, usu omnium Ecclesiarum rejecta est. Contra ea mos involuit, ut examen et inchoetur, et absolvatur tantum eorum, qui dato nomine se sistunt Episcopo die et hora constituta: ceteri arceantur, nisi Episcopus justis de causis aditum iis praebeat accedendi ad examen. Vide Cardinalem de Luca de hac re late disserentem in *adnotat. ad S. Conc. Trid. disc.* 32. *ad sess.* 24. *de ref. cap.* 18.

Haec te praemonitum volui, ne vitio verteres mihi, ea esse praetermissa, quae magnopere essent necessaria. Vale.

INDEX CAPITUM
PARTIS PRIMAE.

CAP. I. *DE definitione beneficiorum.*
II. *De origine beneficiorum.*
III. *De diviſione beneficiorum.*
IV. *De beneficiis regularibus, eorumque origine.*
V. *De beneficiis ſaecularibus.*
VI. *De beneficiis ſimplicibus.*
VII. *De beneficiis curatis.*
VIII. *De aliis beneficiis non curatis, quæ tamen ad reſidentiam obligant.*
IX. *De ætate, & ordine ad beneficia obtinenda requiſitis.*
X. *De ſcientia, aliiſque requiſitis ad beneficia obtinenda.*
XI. *De reſignatione, permutatione, & unione beneficiorum.*
XII. *De poſſeſſionis accipiendæ forma, & an ob eam aliquid exigere liceat.*
XIII. *De juribus decimarum, oblationum, & funerum ad beneficia curata, ſeu ad Eccleſias Parochiales ſpectantibus.*
XIV. *De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.*
XV. *De reparandis, reconſecrandis, & reconciliandis Eccleſiis.*

PARS

PARS PRIMA.

CAPUT I.

De Definitione Beneficiorum.

Beneficium definitur a Canonistis: *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, seu Deo dicatis propter officium spirituale*. A Theologis vero, ut exprimerent ipsum officium uti *principale*, et beneficium uti *accessorium*, definitur: *Jus perpetuum ministrandi in Ecclesia auctoritate Episcopi constitutum, habens jus percipiendi fructus adnexum*. Sive igitur in una, sive in altera definitione semper officium consideratur uti principale; quia fundamentum, et caussa beneficii, ut loquuntur Canonistae, est officium, seu ministerium ecclesiasticum, cum beneficia *ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda* sint constituta, ut inquit Tridentinum (*a*), et consonant omnes Canones, et Canonistae (*b*), seu *ut possent vacare legi Domini*, juxta verba Regis Ezechiae (*c*), dum habitantibus Jerusalem onus im-

(a) *Sess.* 21. *de refor. cap.* 3.

(b) Apud Wan-Espen *T.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 13. *et seq.*

(c) *Lib.* 2. *Paralip. cap.* 31. *ver.* 4.

posuit alendi Sacerdotes , et Levitas. *Et , ut divini juris est* (ait Synodus Coloniensis (*a*)), *ut , qui servit altari , de altari vivere debeat , ita nec bono jure is , qui non servit altari , de altari vivit*. Et ita intelligitur vulgatum illud adprobatum a Bonifacio VIII. in *cap. fin. de rescript. in VI.*, *Beneficium datur propter officium* , nempe propter *ministerium ecclesiasticum* , non , prout accipitur a nonnullis , propter *officium divinum* , quo credunt non pauci divites nostri Beneficiati sine scrupulo percipere posse proventus beneficiorum.

Ex dictis igitur satis superque constat , quam alienum sit ab Ecclesiae spiritu, et ab animo Fundatorum in clericos inutiles , et otiosos bona sua profundere , et quam gravem scrupulum sibi injiciant tum beneficiorum collatores , tum ad beneficia praesentantes conferendo ea clericis , aut clericos ad ea praesentando , si sint de jurepatronatus , quibus *verisimilis saltem spes non apparet , quod operam suam utiliter Ecclesiae impendent , et digni erunt , qui de proventibus Ecclesiae vivant* , ut inquit Wan-Espenius (*b*). Hinc, ut beneficia , quae per abusum dicuntur simplicia , in meliorem , et Ecclesiae magis utilem usum converterentur , visum fuit Tridentinis Patribus (*c*) eorum unionem Ecclesiis Parochialibus pauperibus , Seminariis , ac Praebendis Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum permittere auctoritate Episcopi , praevio tamen Capituli consensu.

Dicitur *jus perpetuum percipiendorum fructuum* ad ex-

(a) *An.* 1549. *tit.* 9. *can.* 3.
(b) *Loc. cit. cap.* 4. *num.* 33.
(c) *Sess.* 23. *cap.* 18. , *et sess.* 24. *cap.* 13. , *et* 15.

exprimendam constantem Ecclesiae disciplinam confirmatam per Tridentinum (*a*), ut in illa Ecclesia clericus perpetuo permaneat, cui adscriptus est. Itaque, si temporale sit, et ad nutum revocabile, beneficium ecclesiasticum non dicitur, etiamsi habeat *praeeminentiam cum jurisdictione*, ut inquit Wan-Espenius (*b*), prout habet Vicarius Generalis Episcopi, qui proinde non dicitur in Dignitate constitutus, cum non sit perpetuus, licet habeat non modo jurisdictionem, verum etiam praeeminentiam, et praecedat omnes Canonicos, imo Dignitates (*c*).

Addidi praeterea illa verba, *auctoritate Episcopi constitutum*, quia communis est Canonistarum doctrina, ut nullum proprie dicatur beneficium, cui praeter fundationem erectio in titulum non accesserit; ita ut, etiamsi in legato celebrationis missarum dicatur, quod Sacerdos praesentetur ad legatum, et instituatur ab Episcopo, aut legatum sit perpetuum, aut Episcopus facultatem concesserit, ut missae celebrentur in certo altari, vel Capella, non dicatur beneficium ecclesiasticum (*d*). Ad constituendum igitur beneficium ecclesiasticum duo copulative requiruntur, nempe fundatio, et erectio in titulum beneficii: et cum praesumtio semper sit pro qualitate laica, nisi superveniat qualitas ecclesiastica per erectionem in titulum, qualitas ecclesiastica numquam

 dici-

(a) *Sess.* 23. *de reform. cap.* 16.
(b) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 13.
(c) Wan-Espen *loc. cit. cap.* 2. *n.* 14.
(d) Corrad. *Prax. Benef. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 14. Wan-Espen *loc. cit. tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 19. 22. 23. *et* 24.

dicitur *superveniens*, et *acquisita*, ut communi hodierna fori phrasi loquar, nisi utraque qualitas simul concurrat; scilicet fundatio, et erectio in titulum; ita ut altera sine altera stare nequeat cum beneficio ecclesiastico.

Itaque si constet per summariam informationem de fundatione, et dotatione sufficiente Ecclesiae, seu beneficii, quae facta sit cum legitimo assensu; cum hodie in Regno Neapolitano novorum bonorum acquisitio, etiam ex causa legati celebrationis missarum, excepta assignatione *Arrendamentorum* pro satisfactione ejusdem legati loco tantum facilioris exactionis, prohibita sit, decernitur per Episcopum: *Cum ex actis constet de fundatione, et dotatione beneficii legitime facta, ipsum ut supra fundatum, et dotatum in titulum beneficii ecclesiastici perpetui fore, et esse admittendum, adprobandum, et erigendum, prout admittimus, adprobamus, et erigimus, ita ut deinde in antea pro vero titulo, et beneficio ecclesiastico habeatur cum onere etc., atque reservatione jurispatronatus ad favorem etc., juxta leges per Fundatorem in fundatione adpositas, quas fore, et esse admittendas, et adprobandas decernimus, prout praesenti decreto admittimus, et adprobamus; nempe etc.* (hic describitur qualitas jurispatronatus, omnesque leges, et conditiones in eo adpositae), *et non aliter, nec alio modo. Super qua fundatione, et erectione in titulum, ut supra, factis nostram ordinariam auctoritatem praestamus in forma.*

Hujus quidem veritatis rationem reddit idem Wan-Espenius (a); nempe quia, cum juxta antiquam Ecclesiae disciplinam nemo constitueretur

(1) *Loc. cit. cap. 5. n. 21.*

tur *Beneficiatus* alicujus Ecclesiae, nisi in ipsa ordinatione tamquam ejusdem Ecclesiae minister ab eodem Episcopo adscriberetur, ita ut et munia, et munera ecclesiastica ab ejus auctoritate omnino manare deberent, ab ejus quoque auctoritate pendet beneficii qualitas, et natura, adeo ut, si non sit erectum ejus auctoritate, seu in erectione ab ipso adprobatum, et pro vero titulo ecclesiastico habitum, numquam dicatur beneficium ecclesiasticum. Quod semper intellige, si sit perpetuum, cum nullum dicatur beneficium, etiamsi auctoritate Episcopi sit erectum, ac praeeminentiam cum jurisdictione habeat, ut antea dixi, nisi legitimae fundationi, ac erectioni in titulum perpetuitatem adjunctam habeat.

At vero si cum perpetuitate unitam habeat praeeminentiam cum jurisdictione, sive ex institutione, sive ex consuetudine, dicitur *Dignitas* (a). Nota ista verba, *praeeminentiam cum jurisdictione*, quae distinguunt Dignitatem veram a Dignitate *abusive* dicta, cujus nulla jurisdictio, nulla praeeminentia, nisi in choro, in congregationibus, in processionibus, aliisque functionibus publicis; interdum etiam in vestibus; quae proinde merito dicitur a citato Wan-Espenio (b) *Dignitas ventosa*. Et *Personatus* potius dici deberet, seu *praerogativa in Ecclesia sine jurisdictione habens stallum in choro magis honorificum*, ut communiter definitur a Canonistis; licet pro synonimis interdum accipi istas voces *Dignitatis*., et *Personatus*, satis constat *ex cap.* 8. *de constit.*, et *ex cap.* 8. *de rescript.*. Hujus

(a) Rebuff. *prax. benef. P.* 1. *tit. Saeculare beneficium quotuplex? n.* 7.

(b) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 12. *et* 16.

jus vocis *Personatus* originem communiter desumunt Canonistae a disciplina, seu potius abusu, jam a saeculo undecimo inducto, retinendi, quasi jure *primitivorum pastorum* Ecclesiam, etiam Parochialem, obtentam, cum ejus proventibus, et titulo, seu quadam praerogativa, ac honorificentia; officium vero committendi alicui presbytero sub titulo *Vicarii*, qui *persona*, vel *personatus clericus* appellabatur.

Nomen autem dignitatis plane ignotum erat, quae subsistente olim vita communi Canonicorum neque dignitas, neque beneficium erat, sed simplex officium ad Superioris nutum amovibile; ita ut recte dixerit Molanus (a) loquens de Thesauraria: *tunc omnia officia in choro erant Obedientiae*. Neque alia praeeminentia erat primis Ecclesiae saeculis inter clericos, quum, nondum exortis beneficiorum titulis, jus percipiendi proventus Ecclesiae adnexum erat ipsi ordinationi, nisi ea, quae ex ipsa ordinatione manabat, seu ex qualitate ordinis, quem quisque recipiebat; scilicet dicebatur major, et prior in altaris ministerio, qui major erat in ordine. Quae sanctior disciplina ad illud usque tempus viguit, quo viguit vita communis inter Canonicos: verum *deserta vita communi, et ad singularitatem, ac una ad saecularitatem magis delapsis Canonicis*, ut perbelle et apposite ait Wan-Espenius (b), coeperunt fieri beneficia, quae erant mera obedientiae officia, et sensim dignitatis nomen obtinere. Utut vero sit, illud certum est, quod *dignitates in Ecclesiis, praesertim Cathedralibus, ad conservandam, augendamque eccle-*

(a) *Lib.* 2. *de Canonicis cap.* 13.
(b) *T.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 1. *cap.* 2. *n.* 4.

eccleſiaſticam diſciplinam fuerunt inſtitutae, ut animadvertit Tridentinum (*a*), *ut*, *qui eas obtinerent, pietate praecellerent, aliisque exemplo eſſent, atque Epiſcopos opera, et officio juvarent*. Sed proh dolor! quot inter hujusmodi, aliasque abuſive dictas dignitates reperiuntur, quarum *effectus alius non eſt*, *quam ut invidiam generet*, *et ſcandalum ſeminet inter fratres*, ut deplorabat Fagnanus (*b*)!

CAPUT II.

De Origine Beneficiorum.

QUae de beneficiorum origine breviter dicam, clarius explicabunt vulgatum illud, cujus hactenus memini, *Beneficium datur propter officium*. Olim poſſeſſiones Eccleſiarum conceſſas fuiſſe clericis benemeritis, tamquam Eccleſiae militibus, eo quidem modo, quo benemeritis militibus beneficia concedebantur a Principibus, *Feuda* deinde nuncupata, exploratum est in hiſtoria eccleſiaſtica; unde factum eſt, ut in libris Feudorum *Beneficium*, & *Feudum* promiſcue accipiantur (*c*). Hinc quoque manat, ut beneficii nomen pleriſque ſaeculis ignotum fuerit in Eccleſia. Non ante annum 511. legimus fuiſſe raro, et ob peculiarium virtutum merita nonnullis clericis conceſſa praedia Eccleſiarum titulo uſusfructus, nempe ut eis ad tempus uterentur, dum eccleſiaſticorum proventuum diſpenſatio adhuc erat penes

(a) *Seſs.* 24. *de refor. cap.* 12.
(b) *Ad cap. ad haec*, *de Praebend. n.* 22.
(c) Du-Cange *in Gloſſario verb. Beneficium*.

Episcopos, sive eorum Œconomos, et Archidiaconos, ut patet ex *Can.* 23. *Concil. Aurelian. I.*, et ex Epistola Papae Symmachi, qui obiit an. 514., apud Gratian. *Caus.* 16. *qu.* 1. *can.* 61., unde Baronius ad an. 502. beneficiorum ecclesiasticorum originem desumit.

At deinde ex ipsorum Œconomorum, et Archidiaconorum culpa, seu injustitia in proventuum ecclesiasticorum dispensatione, quae non paucas inter ipsos, et clericos querelas fovebat, labente quoque Ecclesiae disciplina, factum est, ut clerici propria auctoritate, nulla facta per Episcopum, ad quem pertinebat, divisione, primum oblationes in propria Ecclesia factas, deinde sensim bona ipsa Ecclesiae sibi adsciverint, ut ex eorum fructibus caperent, quae victui essent necessaria. Quae vero bona clericis magis benemeritis concedebantur ab Episcopo, ut paulo ante dixi, non quidem *jure tituli*, sed *jure* dumtaxat *personali*, nempe ad vitam tantum, concessa censebantur; ita ut extincta concessionarii persona, extincta quoque remaneret concessio, et bona ad Episcopi liberam dispensationem redirent, eo prorsus modo, quo ad Principem devolvebantur praedia *jure beneficiario* benemeritis militibus concessa. Quae ne deinde ab eodem Episcopo quasi ex ejus liberalitate non sine incommodo reciperent, novam introduxerunt disciplinam, ubique tamen receptam, ut quod antea *personale*, postea *reale* fieret; idest quod clericorum personis adnexum erat, et eorum obitu extinguebatur, perpetuo adnecteretur Ecclesiis, seu titulis, inter quas proinde fuerunt bona divisa. Hinc factum, ut jus clericorum utendi proventibus, seu fructibus dictorum bonorum ex clerico-

rum

rum personis non egrederetur, iis vero extinctis, extinctum quoque remaneret jus eos percipiendi; unde deducit Wan-Espenius (*a*) illud juris axioma, ut *Parochi habeant fundatam intentionem ad decimas, oblationes, aliosque proventus intra fines suarum Parochiarum.*

Varia igitur fuit Ecclesiae disciplina circa modum tantum percipiendi fructus suorum bonorum, non autem circa substantiam, cum nunquam mens Ecclesiae fuerit, otiosis, et inutilibus clericis sua bona largiri. *Si omnia* (inquit perbelle Wan-Espenius (*b*)), *quae ipsa beneficiorum conditio, erectio, collatio, & beneficiatorum obligatio requirunt, rite ex mente Ecclesiae expenderentur, appareret etiam spiritum Ecclesiae (qui semper praecipue attendendus est*, ut ipse monet (*c*)) *in his mansisse invariatum, tametsi exterior disciplina in multis sit mutata.* Ideo contremiscant Ordinarii beneficiorum collatores ea conferendo, aut Patroni ad ea praesentando ejusmodi clericos, qui sine ullo officio eorumdem beneficiorum proventus consumunt. Et magis contremiscant clerici ipsi, qui citra ullum officium, seu ministerium ecclesiasticum ea recipiunt, aut retinent cum tanta injustitia tollendo stipendium militibus, qui militant, seu clericis benemeritis, quibus debentur ex justitia distributiva. Nam est intolerabilis abusus inductus ex laxiori nonnullorum doctrina, beneficium legitime, et sine scrupulo possideri posse, si officium tantum divinum recitetur.

CA-

(a) *T.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *cap.* 1. *n.* 8. 9. 10. *&* 11.
(b) *Loc. cit. cap.* 1. *n.* 27.
(c) *Eod. loc. cit.*

CAPUT III.

De divisione Beneficiorum.

BEneficia divisionem, et diversum recipiunt nomen vel a diversis personis, penes quas exsistunt, vel a diversis officiis, quae ipsis adnexa sunt. Ideo dicuntur beneficia regularia, si sint penes personas regulares; beneficia saecularia, si sint penes personas, seu clericos saeculares. Dicuntur simplicia, si nullam animarum curam adjunctam habeant; beneficia curata, seu Parochialia, si adnexam habeant animarum curam. De quibus singillatim, quantum instituti mei ratio requirit pro notitia Fori ecclesiastici, dicam.

CAPUT IV.

De Beneficiis Regularibus, eorumque origine.

BEneficia regularia eamdem, quam dignitates, originem habent, quia scilicet, quae prioribus Ecclesiae saeculis erant officia *claustralia*, seu *obedientiae*, ut ea appellat Molanus (*a*), saeculis posterioribus in beneficia, et dignitates claustrales conversa fuerunt. Unde manavit illud Juris axioma adprobatum in *cap. cum de beneficio*, et *cap. cum singula*, *de Praebend. in VI.*, in *Clement. unica*, *de supplend. neglig. Praelat.*, et novissime in

(a) *Lib. 2. de Canonicis cap.* 13.

in *Tridentini sess.* 14. *de reformat. cap.* 10. : *ut Regularia Regularibus, Saecularia Saecularibus conferantur*. Et haec beneficia, seu dignitates regulares dicuntur esse *ex institutione*, idest ex eorum natura penes regulares existentia, utpote quae regularium regimen immediate continent, ut sunt Abbatiae, Prioratus, et similes, ad distinctionem eorum, quae sunt ex fundatione, si videlicet fuerint a Fundatore pro regularibus reservata, et cum eadem conditione ab Episcopo adprobata, et erecta (*a*), aut ex praescriptione, si beneficium *ab iis tanto tempore &c. extitit continue, ac pacifice gubernatum, ut praescriptio legitima sit completa*, ut decrevit Bonifacius VIII. loquens de Prioratu in *cap.* 5. *de Praebend. in VI.*; puta si per quadraginta annos beneficium tamquam regulare in titulum beneficii sit regularibus collatum, ut post *Glossam ad dict. cap.* 5. *de Praebend.* sentiunt communiter Doctores (*b*). Nam si non fuerit collatum in titulum beneficii, sed retinens naturam beneficii saecularis fuerit regularibus collatum, aut commendatum ob defectum clericorum saecularium, regulare non dicitur, cum ad immutandam naturam beneficii neque *longissimi temporis* possessio sufficiat (*c*).

CA-

(a) Wan-Espen *T.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *cap.* 3. *n.* 3.
(b) Apud eund. Wan-Espen *loc. cit. cap.* 3. *n.* 5.
(c) Rebuff. *ad concordat. Tit. de collationibus* §. *Volumus verb. regularia*.

CAPUT V.

De Beneficiis Saecularibus.

Quae vero beneficia penes personas, seu clericos saeculares exsistunt, seu clericis saecularibus addicta sunt, *saecularia* dicuntur; magisque privilegiata sunt, cum omnia beneficia pro se praesumtionem habeant, ut sint saecularia, nisi contrarium probetur, ut ex communi Canonistarum doctrina tradit Rebuffus (*a*); modo Capellae, ubi sunt erecta beneficia, constructae, et fundatae sint extra Monasterium, aut beneficia ibi erecta Populi, et Cleri directionem respiciant, quia *Monachi plangentis, et non docentis habent officium*, ut inquit idem Rebuffus (*b*) ex *Can. Monachus*, et *Can. placuit, caus.* 16. *q.* 1. Beneficia enim erecta in Capellis fundatis in eodem Monasterio praesumuntur regularia; eo vel maxime, si ipsius Monasterii regimen contineant, qualia sunt Abbatia, Prioratus, et cetera hujusmodi (*c*).

CA-

(a) *Loc. cit. n.* 3.
(b) *Loc. cit. num.* 6. *et* 7.
(c) Ap. Wan-Espen *loc. cit. cap.* 3. *n.* 9. *vers. quod de his.*

CAPUT VI.

De Beneficiis Simplicibus.

Beneficia Simplicia, quorum meminit Gregorius IX. in *cap, fin. de Praeb.*, de jure sunt Canonicatus Ecclesiarum, etiam Cathedralium, Capellaniae ecclesiasticae, quae titulo collativo conferuntur, et cetera beneficia hujusmodi, quibus insita non est cura animarum; licet Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium quasi dignitatibus comparentur in *cap. statutum, de rescript. in VI.* eosque certe magis dignitatibus, quam beneficiis simplicibus accedere non pauci Doctores docent (*a*). De generali vero consuetudine hodie dicuntur simplicia ea beneficia, quae personalem residentiam non requirunt, et usus obtinuit, ut missarum ipsis addictarum celebratio possit alteri committi cum solito stipendio, et reliquum cedere in commodum Rectoris, seu Beneficiati, aut Capellani, nisi in ipsa fundatione dictum sit, ut Rector, seu Beneficiatus, aut Capellanus celebrare debeat per se (*b*). De his beneficiis loquitur Tridentinum *sess.* 24. *de reformat. cap.* 17., dum dicit, *quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud*

(a) Apud Wan-Espen *loc. cit. cap.* 4. *n.* 9.
(b) Wan-Espen *loc. cit. cap.* 4. *n.* 28. *vers. hinc ulterius.*

aliud simplex sufficiens, *dummodo utrumque personalem residentiam non requirat*, *eidem conferri*.

Utrum vero sub illis verbis, *aliud simplex sufficiens*, Tridentinum de altero unico beneficio loqui videatur, an de pluribus etiam beneficiis, si alterum non sit sufficiens, quaestio non levis est inter Canonistas, et Theologos. Nonnulli, quos refert Lambertinus, seu Benedictus XIV. (*a*), sentiunt sub istis verbis intelligi etiam plura beneficia, si alterum non sit sufficiens: quia Concilium non usum fuit verbo *alterum*, quo secundum tantum beneficium post primum insufficiens significaretur, sed verbo *aliud sufficiens*; quo manifeste, ut ipsi inquiunt, ostendit conferri posse sine ulla dispensatione tertium, quartum, quintum &c. ad congruam sustentationem sufficientia; donec faciant *unum satis* juxta mentem Concilii, si primum, et secundum ad vitam honeste sustentandam non sufficerent. Contrarium alii sentiunt, etiamsi essent de jurepatronatus laicorum, quorum opinioni se subscribit idem Lambertinus referens pro ea plures declarationes Sacrae Congregationis Concilii: quia, si ita Concilium sensisset, utique expressisset, idest locutum fuisset *pluraliter*, non *singulariter*, ut inquit idem Lambertinus, cui opinioni consentit Wan-Espenius (*b*) referens verba Concilii Mediolanensis V., quod declaravit, *id ita locum habere*, *ut ne tamen eo praetextu*, *causave vitae sustentandae plura*, *quam duo*, *beneficia uni*, *eidemque conferri liceat sine concessu*, *permissuque Sedis Apostolicae*.

Re-

(a) *In suis Notificationibus*, *notificat.* 91. *n.* 3. *& seq.*
(b) *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 3. *cap.* 3. *n.* 22.

Responsis Sacrae Congregationis Concilii, et tantorum virorum auctoritati adversari non audeo. Unum tamen mihi dicere liceat, quod inspecta primaeva beneficiorum institutione, et vigente disciplina, ut ea personalem residentiam requirerent, ne secundum quidem beneficium primo, quantumvis tenui, addi licebat, ne *cum unum officium vix implere sufficiant*, *stipendia sibi vindicent plurimorum*, ut verbis loquar Concilii Lateranensis in *cap.* 3. *de Cleric. non resident.*; unde processit jus sive canonum, sive decretalium, prohibens pluralitatem beneficiorum. Sed introducta divisione, de qua paulo ante egi, ac examinando rationum momenta pro priore opinione allata, ac verba, et mentem ipsius Tridentini, cur sub prohibita beneficiorum pluralitate esse possit, ut, qui post decretum Tridentini duo insufficientia beneficia habet, aliud, sive alia *ad vitam honeste sustentandam*, ut ejusdem Tridentini verbis utar, recipere, et retinere nequeat, mihi non persuadeo. Cum vero Tridentinum de beneficiis dumtaxat loquatur, sub eadem rubrica non comprehenduntur pensiones, aut legata pia, seu Capellaniae laicae. Hinc plures obtinens pensiones, aut Capellanias potest et beneficium obtinere, ac possidere, ut communiter docent Canonistae, et juxta eamdem Canonistarum doctrinam fuisse ab eadem Sacra Congregatione decisum, refert idem Benedictus XIV.

Illud tamen certum est, et fere communi Canonistarum, et Theologorum calculo receptum, sine legitima, et justa causa plura beneficia recipi, et retineri non posse (*a*). Neque valet dispensatio Ponti-

ti-

(a) Fagnan. *ad cap. ex parte, de Cleric. non resident. n.* 65.

Digitized by Google

tificia, quia *dispensatus per Papam circa pluralitatem beneficiorum sine causa, licet tutus sit quoad Ecclesiam militantem, non est tamen quoad triumphantem, et sic non valet dispensatio quoad Deum*, ut optime ad rem tradit Abbas Panormitanus (a). Quando autem beneficium sit sufficiens, Concilium non determinavit; cum non omnibus, nec ubique idem beneficium, quod alteri, vel alibi esset sufficiens, sufficiens censeatur: ideo ex factis, et locorum, ac personarum circumstantiis determinandum (b). Reliquum est, ut animadvertam, beneficia simplicia hic dici ad differentiam beneficiorum Parochialium, aut personalem residentiam requirentium; non autem quia ejus generis sint, ut ab officio, seu ministerio ecclesiastico sint exempta, quod ipsi beneficio, quantumvis exempto, semper insitum est, ut supra notavi.

CA-

(a) *Ad Cap. dudum, de electión.*
(b) Wan-Espen *loc. cit. cap.* 3. *n.* 20.

CAPUT VII.

De Beneficiis Curatis.

BEneficia Curata sunt beneficia Parochialia, seu Ecclesiae Parochiales, quibus peculiaris presbyter praeficitur; cui animarum eidem Parochiali Ecclesiae vel finibus, vel familiis addictarum peculiaris cura committitur, *Ars artium* vocata per Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *cap.* 14. *de aetat. et qualitat. ordinand.*. De hujusmodi beneficiis loquens Tridentinum *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. docet, *praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera omnia pastoralia incumbere.*

Et quidem, cum ea omnia ab iis praestari nequeant, qui *gregi suo non invigilant*, neque adsistunt, ut loquar verbis ejusdem Tridentini, hinc manat obligatio residendi, quam expresse declaravit Tridentinum *loc. cit.*, hortando Episcopos, sive eos, quibus animarum cura incumbit, ne absint *per illius temporis spatium Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus*, neque aliis anni temporibus, nisi *causa prius per Episcopum cognita, et probata*, neque *ultra bimestre, nisi ex gravi causa*, ut subdit Tridentinum; *ita tamen, ut quandocumque eos etc. abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approban-*

dam cum debita mercedis assignatione relinquant. Poenam etiam decernit, nempe *quod, si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem, et subtractionem fructuum, aliisque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere*: cujus poenae executionem suspendi non posse, *quolibet privilegio, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, sive appellatione, aut inhibitione non obstante* decrevit.

Justas absentiae causas sive per bimestre, sive per hebdomadam, non esse *aëris intemperiem, senilem aetatem, aut malam valetudinem*, etiamsi incolae Parochiae tres tantum, vel quatuor essent, vel Parochus nocturno tantum, aut diurno tempore totius anni, vel majori parte adesset, declaravit Sacra Congregatio; licet durante infirmitate, ob aëris inclementiam, aut defectum medicorum, et medicinarum possit alibi in loco viciniore residere de licentia Episcopi per tres, aut quatuor menses, ut refert Lambertinus (a). Causa vero studii, quae dicitur justa quoad Canonicos, ut infra dicam, non est justa absentiae causa Parochis; ut Summum Pontificem a Sacra Congregatione consultum respondisse, ac decrevisse, eam ob causam nullam eis concedi posse a residentia dispensationem, refert Fagnanus (b). Exigui tamen temporis absentiam, etiam sine ulla causa, non esse culpam gravem autumat Wan-Espenius (c): tempus vero non determinat, quod Ca-

(a) *Notificat.* 17. *n.* 12. 14. 15. 16. *et* 18.

(b) *Ad cap. super specula, de Magistris n.* 17.. *Cabassut. in Theor. jur. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 7.

(c) *Tom.* 1. *P.* 1. *tit.* 3. *cap.* 3. *n.* 6.

Cabassutius (*a*) dixit esse 15, vel 20 dierum, modo idoneum Vicarium pro cura animarum Parochus relinquat; *sed num pauciores sufficiant* (inquit Antoine (*b*)), *alii viderint.*

Duo igitur copulative ad justam absentiam requiruntur, ut inquit Tridentinum, nempe legitima causa, et ut ea sit ab Episcopo probata; cujus verba cum adeo aperta sint, ut nullam admittant interpretationem, satis arguunt falsitatem opinionis Navarrae, quam refert ipse Cabassutius (*c*), quod non sit necessaria licentia Episcopi; eam inquam licentiam, quam Concilium *loc. cit.* non solum expresse voluit, sed insuper decrevit eam esse *in scriptis concedendam*. Cum vero Parochus sine justa causa, aut ultra bimestre sibi a Concilio permissum abfuerit, idem Concilium decrevit *eum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere posse; sed teneri, aut, ipso cessante, per Superiorem ecclesiasticum cogi posse illos fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione, vel compositione*. Quam poenam amissionis fructuum contra Episcopos prius latam, deinde ad alios Curatos extendit, cum dixerit: *eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et poenas de Curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, et curam animarum habens obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, et decernit.*

Itaque hoc Tridentini decreto revocatum fuit (in-

(a) *Loc. cit. n.* 4.
(b) *In Theolog. Moral. in Tract. de obligat. cap.* 1. *in fine.*
(c) *Loc. cit. n.* 4.

(inquit Cabassutius (*a*)) praecedens ejusdem Concilii decretum in *sess. 6. de reform. cap.* 1.; quo propter absentiam sex mensium statuta fuit poena amissionis quartae partis fructuum unius anni contra Episcopos, de quibus Concilium decrevit in *ead. sess.* 23. *cap.* 1., *illud absentiae spatium singulis annis sive continuum, sive interruptum etc., nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, et haberi rationem, ut id aequa causa fiat, et absque ullo gregis detrimento*: quod, an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit. Quibus verbis, ut animadvertit idem Lambertinus (*b*), satis innuit Tridentinum ad justam Episcoporum absentiam urgentem necessitatem, aut evidentem Ecclesiae utilitatem non requiri, sed sufficere causam *aequam*, et *rationabilem*.

Videant igitur Parochi, sive quicumque animarum curam habent, quam gravem scrupulum sibi injiciant propter residentiam, quam interdum ob levem causam, vel etiam nullam, negligunt; cum et apud ipsos Gentiles Flamini Diali Jovis Sacerdoti, nisi ex gravi causa, scilicet *adversa valitudine*, et *Pontificis Maximi arbitrio*, abesse non liceret, adjuncta conditione, *ne plusquam binoctiam abesset*, tum *ne diebus publici sacrificii non saepius, quam bis, eodem in anno*, ut inquit Tacitus (*c*), ac extra dictam causam nefas erat *noctem unam manere extra Urbem*, ut scribit Livius (*d*).

Cum

(a) *Theor. jur. lib.* 5., *cap. I. n.* 3.
(b) *Notif.* 17. *n.* 7.
(c) *Lib.* 3. *Annal. pag.* 124.
(d) *Lib.* 5. *cap.* 30. *pag.* 416.

Cum Concilium dixerit praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, pro ovibus suis sacrificium offerre, hinc patet inter praecipua Parochorum munera illud esse, ut non solum sacrum pro commodo populi faciant, sed etiam offerant, seu applicent pro populo, etiamsi congruam portionem non habeant, in diebus Dominicis, et festis omnibus: numquam tamen quotidie, etiamsi pingues proventus habeant, ut patet ex pluribus declarationibus Sacrae Congregationis Concilii, revocata contraria declaratione, ut Parochi pingues proventus habentes teneantur quotidie sacrificium offerre pro populo, quas refert ipse Lambertinus (*a*). Et ipse Pontifex declaravit in sua Encyclica data die 19. Augusti anni 1744. §. *Cum enim S. Trid. Concilium*, satis esse sacrificium pro populo offerri diebus festis tantum a Parochis, vel a Vicariis Curatis etiam amovibilibus, sive divitibus, sive pauperibus. Ipsis vero ob paupertatem permisit, accedente tamen Episcopi dispensatione, ut sacrificium etiam diebus festis pro alio pio offerente eleemosynam, seu stipendium, requisiti offerre possent, modo infra hebdomadam illud pro populo offerrent, seu applicarent; prout ipse refert (*b*), declarasse S. Congregationem die 29. Januarii anni 1724. pro nonnullis Parochis Episcopatus Ostiae, qui nihil a populo recipiebant, sed quid minimum a dominis Castrorum, modo in eadem Parochia diebus festis, sacrum facerent pro commodo populi, illudque postea infra hebdomadam pro eodem populo offerrent.

(a) *Notific.* 10. *n.* 4. 5. *et* 6.
(b) *Loc. cit.*

rent. Quod maxime animadvertendum pro notitia Ordinarii in visitandis libris parochialibus, ubi imprimis recognosci debent missae celebratae pro populo.

Neque minor est obligatio Parochorum pascendi oves sibi commissas *verbi divini praedicatione*, ut monet ipsum Tridentinum. Namque *sess.* 5. *de reform. cap.* 2. praecipit., *ut per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat*. Deinde subjicit, *ut, ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium poenas cogantur; ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec Principalis ipse resipiscens officium suum impleat*. Et *sess.* 24. *de ref. cap.* 4. loquens de Episcopis ait: *Iidem etiam saltem Dominicis, et aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et parentes diligenter ab eis, ad quos spectabit, doceri curabunt*. Sufficit vero, *si Parochi, etsi formaliter non praedicent, saltem Dominicis, et festis diebus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis*, ut ipsam Sacram Congregationem declarasse refert idem Lambertinus (*a*), et patet ex Constitutione Innocen-

(a) *Notific.* 10. *n.* 3.

centii XIII. confirmata a Benedicto XIII. , quam refert ipse Lambertinus (*a*) . Hinc oritur jus , quod Parochi habent , ut tempore concionis , vel instructionis nullus Sacerdos possit in Capellis in Parochiae finibus existentibus sacrum facere , cum Parochiani ex Tridentino Parochiae adesse debeant ad audiendum Dei verbum (*b*) , quod passim solet ab Ordinariis mandari in decretis S. Visitationis .

Ideo ad beneficia curata concurrentes assumi nequeunt , nisi tamquam hujusmodi officio idonei sint adprobati in concursu , qui fieri debet coram Episcopo , vel , eo impedito , coram ejus Vicario Generali , et tribus saltem Examinatoribus Synodalibus , si ad liberam Ordinarii collationem pertineant ; nec qui sint praesentati a personis laicis ad beneficium curatum de Jurepatronatus laico , nisi examinati coram se , et ipsis Examinatoribus Synodalibus idonei sint reperti , ut praescribit idem Tridentinum in *dict. sess.* 24. *de ref. cap.* 18. . *Et quamquam desideranda sit eminens scientia in Pastore , in eo tamen est competens toleranda* , inquit de electo in Episcopum Joannes Petrus Gibert in *Corpore Juris Canonici tom.* 3. *tit.* 2. *de benefic. eccles. pag.* 22. *n.* 2. : *et imperfectum scientiae* (subjicit ipse) *potest supplere perfectio caritatis.* .

Illa autem verba , *eo impedito* , quibus utitur Concilium , dicta sunt ad ostendendam *convenientiam* , non *necessitatem* , ut loquuntur Canonistae . Quare examen factum coram Vicario , etiam Episcopo non impedito , modo ab eodem Episcopo fuerit ei com-

 mis-

(a) *Loc. cit.*

(b) Wan-Espen *Tom.* 1. *P.* 1. *tit.* 3. *cap.* 11. *n.* 1. *et* 4.

missum, irritum non est, neque ullam concursus inducit nullitatem, ut docet Garzias (*a*), et communis fert dioecesum praxis, quam testatur Wan-Espenius (*b*). Neque irritus est concursus, si fiat non servato ordine a Concilio praescripto *loc. cit.*, ut advertit Fagnanus (*c*), qui refert ita fuisse responsum a Sacra Congregatione Concilii die 2. Augusti an. 1602., nempe si Examinatores non sint *Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, sed sint alii Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine mendicantium, aut etiam Saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei*, ut ibi dixit Tridentinum: licet Episcopus non possit dictos Examinatores pro suo arbitrio, et voluntate eligere, sed omnino servare debeat ordinem a Concilio praescriptum, ut docet idem Fagnanus (*d*).

Unum sine vitio nullitatis omitti nequit, nempe juramentum Examinatorum Synodalium *ad sancta Dei Evangelia, se quacumque affectione postposita fideliter munus executuros*, ut ibi quoque Tridentinum praescripsit: quod sufficit semel dumtaxat praestari, dum ad officium Examinatorum assumuntur, neque reiterari debet in quolibet concursu, seu examine, juxta veriorem, et magis receptam opinionem, ut ait Cardinalis de Luca (*e*).

Examinatores autem caveant (subdit ibi Concilium) *ne quidquam prorsus occasione hujus examinis*

(a) *De benef. P. 9. n.* 119.

(b) *Tom. 3. P. 2. sect. 3. tit. 5. cap. 3. n.* 2.

(c) *Ad cap. inter ceteras, de rescript. n.* 54.

(d) *Loc. cit.*

(e) *In adnotat. ad S. C. T. ad sess. 24. de ref. cap. 18. disc. 32. n.* 8. Wan Espen *loc. cit. cap. 3. n.* 14.

minis nec ante, nec posteà accipiant; alioquin simoniae vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocunque etiam obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Imo neque ordinarium hujusmodi Examinatoribus in Synodo electis ne Synodum quidem ipsam sub poena nullitatis decreti Synodalis posse stipendium vel minimum ipsis pro hujusmodi officio obeundo decernere, declaravit Sacra Congregatio, prout refert Garzias (a).

Peracto deinde examine (decrevit Concilium), *renuntientur quotcunque ab his idonei judicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis*. Quibus verbis satis expressit, illos idoneos judicandos esse ad peculiare beneficium curatum, seu ad peculiarem Ecclesiam Parochialem vacantem, non ad beneficium curatum *in genere*, cum dixerit illos renuntiandos esse idoneos, qui apti sint *ad vacantem Ecclesiam gubernandam*. Quis enim ignorat posse aliquem esse idoneum Parochum in aliqua Parochia, et non in alia? Praesertim si ratio habeatur majoris, vel minoris numeri animarum, ut advertit S. Carolus in Concilio Mediolanensi (b). Scilicet *pro diversitate Parochiarum, et varia populi conditione, et genio, varias quoque in Pastore, et Rectore qualitates requiri non tantum in doctrina, sed et in modo conversandi, et agendi: aliter agendum cum populo moribus agrestibus, et plane incultis addicto, aliter cum populo ge-*
nii

(a) *De benef. P.* 3. *cap.* 2. *n.* 374.
(b) *P.* 3. *tit. de examinandi ratione*. Wan-Espen *loc. cit. cap.* 3. *n.* 19.

nii cultioris, et nobilioris, optime ad rem animadvertit Wan-Espenius in Additione (*a*). Et saepius accidit, ut ait S. Thomas (*b*), ut inferior quoad scientiam sit superior quoad ceteras qualitates ad bonum Ecclesiae Parochialis regimen necessarias.

Quamobrem monet laudatus Lambertinus (*c*), ut concurrentes ante concursum exhibeant omnia requisita in forma authentica, praesertim si doctrinam Christianam docuerint, aut Sacramenta ministraverint. Quae patefieri debent Examinatoribus, ut examinatis omnium meritis tempore electionis eligi possit, qui magis idoneus judicatus fuerit ad *vacantem Ecclesiam gubernandam*, prout patet ex Bulla Benedicti XIV. lata die 14. Decembris ann. 1742., quae incipit, *Cum illud*.

Haec omnia serio examinare debent Examinatores Synodales, et non sola responsa casibus moralibus propositis, quibus, nisi definita in jure sint, facili negotio respondetur per sententias Casuistarum, quae tot sunt, quot sunt capita, et interdum etiam per sententiam communem, quae tamen *saepius provenire solet ex vitio, quod avibus, vel ovibus est commune; quod scilicet unam altera insequatur, dum frequenter principium est vitiosum, vel quia ille primus, a quo traditio derivat, et cui per Juristas Antesignani vocabulum tribui solet, in effectu aliud dicere voluerit, vel quia constet, quod ille inconsiderate id dixerit contra Juris principia*, ut de ipsis Juristis loquitur Cardinalis de Luca (*d*), quos

(a) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 20.
(b) 2. 2. *q.* 63. *artic.* 2. *n.* 2. *vers. et quia*.
(c) *Notific.* 7. *n.* 7.
(d) *De judiciis tom.* 15. *disc.* 35. *n.* 84. *in fine*.

quos secuti sunt non pauci Casuistae. Itaque, sicut nihil justum, aut injustum est, quod sententia Doctorum, seu Juristarum sustineri nequeat in foro exteriori; ita nihil justum, aut injustum fere est, quod sententia Casuistarum sustineri nequeat in foro interiori. Unde factum est, ut depravata doctrina in maximam morum corruptelam degeneraverit. Quod maximopere quoque animadvertendum pro recto Examinatorum judicio in seligendo opiniones magis tutas, aut quae saltem rationum satis perspectarum momenta habeant, et non jurando in verba magistri. Vide Wan-Espenium *tom.* 3. *part.* 2. *section.* 13. *tit.* 5. *cap.* 4..

Qui vero dicatur dignior ad obtinenda beneficia sive simplicia, sive curata, vide, quae infra dicam in *Part. II. de jurepatronatus*, dum loquar de gratificatione concedenda ab Ordinario in paritate vocum, ubi late merita, et requisita, quae in eorum collatione examinare debet Episcopus, recensebo. Quoad beneficium curatum, vel jurisdictionem habens, puta Episcopatum, certum est apud Doctores (*a*), *quod si agitur de alias criminoso* (sunt verba Pitonii (*b*)), *sed redacto ad frugem melioris vitae, tunc iste praeferri debet ex. caus. in concursu alterius nullam maculam habentis; idque ratione majoris aptitudinis, quia scit melius compati, et commiserari in subditos; secus in beneficiis simplicibus, ubi haec ratio cessat*: quod tamen semper intelligendum ceteris paribus. *Ego in comprobationem addo* (subjicit ipse (*c*)) *in terminis*

(a) Piton. *discept. eccles.* 41. *n.* 1., *et* 2., Vivian. *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 27.
(b) *Loc. cit.*
(c) *Loc. cit. n.* 2.

minis Episcopatuum , aut aliorum officiorum jurisdictionalium , quod aliquando melius se gerunt , qui in vita privata criminosi fuerunt , quam qui , antea innocentes , deinde elati , quandoque degenerant .

Arcendi vero a beneficio curato omnino sunt, qui populo odiosi, aut parum grati sunt, *cum in seligendis Pastoribus hi semper praeferendi sint, qui populi affectione, et gratitudine potiantur, et e contrario rejiciendi sint , qui personis parum grati sunt , et in eorum mala opinione versantur, dum promiscua , et continua desideratur dilectio inter populum , et Rectorem* , ut ex Doctorum sententia , ac Rotae Romanae decisionibus concludit Fargna (a), Nota illa verba, *in eorum mala opinione versantur*, quibus satis innuitur solum odium non sufficere, nisi congruenti quoque rationi , nempe malae opinioni, sit innixum , ut non obscure tradit Cardinalis de Luca (b), dum ait, ut *isto casu , quamvis ad formalem inquisitionem , et carcerationem deventum non esset , adhuc sola sinistra populi opinio sufficere deberet ; quoniam inter eas circumstantias , quae in hac materia considerari solent , ac debent , majorem litteraturam , seu majorem aetatem, vel majorem gradum suffocantes , praecipua , ac forte primaria est illa , quod, qui praeponendus est , sit gratus , sive non ingratus, vel non exosus populo ; adeo ut antiquus usus in Ecclesia haberetur praeponendi Clericos a populo nominatos etc.* Et consultus ita pro veritate se respondisse testatur Cardinalis de Luca (c) in praeelectione minus docti ad Ecclesiam Parochialem facta a quodam Episcopo in concursu cum

(a) *P.* 5. *can.* 10. *cas.* 1. *n.* 33.
(b) *De Paroch. disc.* 8. *n.* 6. *et* 7.
(c) *De Paroch. disc.* 3. *n.* 10.

cum magis docto, et Sacrae Theologiae professore, *eo quia* (rationem ipse subjicit) *alter habens majorem* (nempe *litteraturam*, de qua antea loquitur) *plurium annorum spatio fuisset professus in quadam Religione mendicante, a qua exierat ex motivo nullitatis professionis. Quamvis enim egressus supponeretur secutus ser. ser., ac mediante sententia juxta formam S.C.T.; attamen apud populum suspicio aderat, an egressus praedictus fuisset legitimus, necne: et quatenus etiam fuisset talis, adhuc tamen ista qualitas egressi e Religione Claustrali de facto apud vulgus causare solet quamdam notae speciem, licet secutus esset intra annum probationis, multo magis post professionem, ob notabilem permanentiam in eo statu*.

Pro adprobatione vero, aut reprobatione concurrentium attenditur pluralitas suffragiorum, quibus, si paria sint, accedere potest Episcopus, vel Vicarius, si Vicarius praesit examini; accedere, inquam, *quibus magis videbitur*, ut ibi ait Tridentinum. Et hic est unicus casus, quo Episcopo, vel ejus Vicario competit votum decisivum, quod extra dictum casum nullo modo ipsis competere decrevit Sacra Congregatio Concilii, teste Massobrio (*a*). Quod votum tamen ferre Episcopus debet in ipso examine, et dum adhuc Examinatores sunt congregati (*b*); sicut *collegiativo jure etc. in ipso actu*, ut inquit Cardinalis de Luca (*c*), debent Examinatores suffragium ferre.

Ex his (concludit denique Tridentinum) *Episcopus eum*

(a) *In praxi habend. concursus, requis.* 3. *n.* 56.

(b) Massobr. *loc. cit.*. Garz. *de benef. P.* 9. *cap.* 2. *n.* 58.

(c) *In adnotat. ad S. C. T. ad dict. cap.* 18. *n.* 9.

eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit, idest digniorem ex iis, qui fuerint ab Examinatoribus adprobati, ita ut, si ab omnibus, aut a majore parte eorum aliqnis concurrentium fuerit reprobatus, nequea ab Episcopo ad Parochiam assumi juxta sententiam communem Canonistarum ad *dict. cap.* 18. *Tridentini* : licet neglecto ordine ab Examinatoribus servato in renunciando magis idoneos, si ex. gr. idoneos concurrentium per ordinem renuntiaverint, eosque uti magis idoneos esse praeferendos judicaverint, possit Episcopus eligere, quem maluerit ex adprobatis ab iisdem Examinatoribus, si digniorem eum judicaverit, etiamsi ejus merita nota sint sibi ex peculiari ac privata informatione habita (*a*). Hujus autem electionis rationem reddere non tenetur Examinatoribus, neque electio impugnari potest in foro externo; licet in foro interno se a culpa gravi excusare nequeat, ut communis fert Canonistarum, et Theologorum sententia post S. Thomam apud Wan-Espenium, qui quotidianam praxim testatur (*b*).

A mala tamen electione, seu ab irrationabili judicio Episcopi, ut post Tridentinum *in dict. cap.* 18. decrevit Pius V. in Constitutione, quae incipit, *In conferendis* §. 7., potest appellari ad Metropolitanum, vel Episcopum viciniorem, qui tamquam ejusdem Apostolicae Sedis Delegatus procedere debet, si is, ad quem pertinet collatio, sit Metropolitanus, aut eidem Apostolicae Sedi immediate subjectus, ut ibi decrevit Pius V.; appellatione tamen devolutiva, non suspensiva, ita ut, appellatione non obstan-

(a) Wan-Espen *loc. cit. cap.* 4. *n.* 8. & 14.
(b) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 8. *et* 14.

stante, collatio jam facta sustineatur, et debitae executioni demandetur, isque, cui fuit facta collatio, lite pendente, a possessione beneficii amoveri nequeat. Decrevit pariter Pius V., ut, qui a mala electione appellaverint, possint *praeelectum ad novam examen coram ipso appellationis Judice, et ejus Examinatoribus provocare: et constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eumdem Judicem appellationis, quatenus collatio ad Episcopum, a quo appellatum fuit, spectaret, conferatur: alias eidem magis idoneo per Judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit.*

Hic recentiores Canonistae (a) animadvertunt hujusmodi malam electionem probari non posse novis documentis, nondum introducta appellatione, quae uti *studiose conquisita, et post concursum expiscata* recipi vetuit dicta Bulla Benedicti XIV. lata die 14. Decembris ann. 1742., quae incipit, *Cum illud*; sed probandam esse novo examine, aliove modo coram Judice appellationis, prout pluries a Sacra Congregatione, et Rota Romana fuisse decisum refert Fagnanus (b), qui insuper refert (c), ipsam Sacram Congregationem nunquam novum examen admisisse, nisi *dato aliquo fumo irrationabilitatis, et malae praeelectionis: puta, postquam per attestationes extrajudiciales, vel alia uniformia documenta de hujusmodi suspicione, et gravamine aliqualem fecerit fidem* (scilicet appellans),

(a) Ap. Wan-Espen *loc. cit. cap.* 4. *n.* 11., Fagnan. *in cap. eam te, de aetat. et qualit. ordinand. n.* 26.
(b) *Loc. cit.*
(c) *Loc. cit. n.* 39.

lans), *ut sic probabilis , et sufficiens causa eum excuset a calumnia* , ut praesertim die 21. Februarii anni 1612. decrevisse ipsam Sacram Congregationem pro novo concursu in Urbe instituendo refert idem Fagnanus (*a*). Et quidem, non adhibita ista cautela, nullus esset concursus, ut recte animadvertit Wan-Espenius loquens de eadem Constit. Pii V. (*b*), qui summo malo animarum litibus esset involutus.

Quoad effectum autem tam devolutivum, quam suspensivum admittitur appellatio, si beneficium curatum, seu Parochia sit de jurepatronatus, et alii praesentati, vel patroni appellent a mala institutione, prout fuisse decisum testatur Barbosa (*c*). Et sicut a mala electione, seu ab irrationabili judicio Episcopi datur appellatio, ita datur a reprobatione, seu ab irrationabili judicio Examinatorum, ut declaravit Sacra Congregatio (*d*). Appellatio autem interponi potest intra decem dies a die collationis computandos, et trasmitti debent ad Judicem appellationis acta concursus originalia, vel exemplum collatum coram Vicario Generali a Cancellario concursus, et ab aliquo Notario eligendo ab Ordinario, et subscriptum ab Examinatoribus Synodalibus, qui concursui interfuerunt, ut patet ex eadem supradicta Bulla Benedicti XIV., quae incipit, *Cum illud*.

Haec de beneficiis curatis, quae pertinent ad liberam Episcopi collationem, seu quae vacant in men-

(a) *Eod. loc. cit. n.* 39.
(b) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 12. *in fin.*
(c) P. 3. *alleg.* 60. *n.* 104. . Antonell. *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 52.
(d) Ap. Antonell. *loc. cit. n.* 53.

mensibus non reservatis. In reservatis vero ad Episcopum spectat indicere, et recipere concursum, atque electio dignioris inter adprobatos ab Examinatoribus Synodalibus; collatio autem pertinet ad Sedem Apostolicam, ut docet quotidiana praxis etiam de Capitulo, seu Vicario Capitulari, Sede vacante, a quo institui etiam potest concursus, ne cura animarum ex dilatione detrimentum subire cogatur, ut non semel declarasse Sacram Congregationem refert Garzias (*a*).

Concursus autem in beneficiis tam liberae collationis, quam reservatis indici debet edictorum affixione in Ecclesia Parochiali, et in loco residentiae Episcopi cum termino decem diebus non minore. Verum tamen potest terminus prorogari per Episcopum, modo dies viginti non excedat ex Constit. Pii V., quam refert Cardinalis de Luca (*b*), et concurrentes comparuerint. Nam si nemo unquam comparuit, potest Episcopus edicta renovare toties quoties sibi videbitur, durante tamen termino sex mensium sibi a Jure concesso ad conferenda beneficia, cum tunc nemini praejudicium inferatur, ut docet idem Cardinalis de Luca (*c*).

Ut autem edicta expediri, et affigi debent infra sex menses, si Parochia vacaverit in mense

---

(a) *De benefic. P.* 9. *cap.* 2. *n.* 8. Wan-Espen *loc. cit. cap.* 4. *n.* 29. Fagnan. *ad cap., eam te, de aetat. et qualit. ordinand. n.* 26.

(b) *In adnot. ad S. C. T. ad sess.* 24. *de refor. cap.* 18. *disc.* 32. *n.* 28.

(c) *Loc. cit. disc.* 32. *n.* 28.

non reservato, et infra quatuor menses, si vacaverit in mense reservato; sic pro unaquaque Ecclesiarum vacantium expediri, et affigi distincta debent edicta: licet concursus absolvi possit unico concurrentium examine. Etenim *cum Episcopus de majori, vel minori idoneitate, et habilitate concurrentium ad omnes Parochiales eodem tempore vacantes recte valeat se certiorem reddere . . . . . mediante unico examine; hinc est, ut adimpleto primario fine; curari non debeat de materialitate plurium examinum litteraliter non requisitorum in simultaneo plurium Ecclesiarum vacatione*, ut decisum refert Fargna *Part.* 5. *can.* 10. *cas.* 1. *n.* 17. *post. coment. ad cap.* 18. *Tridentini sess.* 24. *de ref.*

Quod examen inchoari potest, sed non potest absolvi, si plures concurrentes fuerint descripti, nec comparuerint die praefinita pro examine; sed expectandi sunt, aut vocandi. Quin imo neque inchoari examen potest sine concurrentium citatione, si nulla in edicto dies praefinita fuerit. Vide Fargnam *loc. cit. n.* 5. *et* 9., Antonel. *de regim. Eccles., lib.* 3. *cap.* 5. §. 2. *n.* 10. *ad* 12., Massobr. *in prax. habend. concurs., requis.* 3. *dub.* 10.. Usus tamen ubique obtinuit, ut in edicto destinentur dies, et hora certa pro examine, seu concursu, a quo nec Parochi aliarum Parochiarum arcendi sunt; nempe destinatur hora certa diei, quae immediate sequitur terminum in edicto appositum. Vide Antonel. *loc. cit. n.* 15., et *decret. Sac. Congreg. apud* Barbos. *de off., et potest. Paroch. cap.* 2. *n.* 48.. Verum examen habitum nondum exacto termino apposito in edicto, nullum non est, si nemo postea compareat, seu concurrat, ut definivit Rota apud Barbosam

bosam (*a*). Re tamen integra, si alii concurrentes compareant lapso jam termino in edictis praefinito, in praxi admittuntur ad examen (*b*), ita ut, si ab examine rejiciantur, appellare possint apud ipsum Episcopum, qui examini praeest, dictumque examen appellatione pendente impedire (*c*).

Interim vacante Ecclesia Parochiali, pro ejus regimine Vicarius constituitur, seu Œconomus curatus idoneus cum sufficientis congruae assignatione ex ipsius Parochialis Ecclesiae fructibus facienda, cujus electio ad Episcopum spectat citra ullam Examinatorum adprobationem, ut decrevit idem Tridentinum in *cit. cap.* 18., etiamsi Ecclesia sit Jurispatronatus laici, aut Regii. Is tamen succedit in jus Parochi quoad ea tantum, quae pertinent ad curam animarum, et functiones pastorales, non autem quoad reliqua omnia, quae ad officium pastorale non pertinent, puta locum in choro, aut vestem canonicalem, si Parochus sit etiam Canonicus (*d*).

(a) Barbos. *P*. 3. *cap*. 61. *n*. 46.

(b) Ricc. Pup. *in manud. ad prax. civil. cap*. 15. *n*. 6. *post* 12. *capita decreti S. Congr. Conc.*

(c) Fagnanus, aliique apud Fargna *P*. 5. *can*. 10. *cap*. 1. *n*. 17. Antonell. *de regim. Eccl. lib*. 3. *cap*. 5. §. 2. *n*. 9.

(d) Wan-Espen *loc. cit. cap*. 5. *n*. 14.

CAPUT VIII.

De aliis Beneficiis non curatis, quae tamen ad residentiam obligant.

Aliter se res habet quoad Canonicos tam circa modum conferendi Canonicatus, cum sine concursu conferantur, quam circa obligationem residendi. Licet enim et ipsi residere teneantur, concedit tamen Tridentinum *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. licentiam, ut abesse possint per tres menses ex justa causa, cujus non tenentur rationem Episcopo reddere, prout tenentur Parochi, cum de solis Parochis Concilium decreverit, ut causa sit ab Episcopo probata; sed eorum conscientiae committitur, num justam absentiae causam habeant, quae *eo justior, et urgentior esse debet, quo longior est absentiae mora*, ut inquit Wan-Espenius (a). Imo neque licentiam ab Episcopo petere tenentur, ut docet idem Wan-Espenius (b). Hodie vero receptum est, prout testatur Pitonius (c), ut et ipsi indigeant licentia non solum Episcopi, verum etiam Capituli, ut Episcopus, et Capitulum inspiciant, quot Canonici remaneant pro servitio Ecclesiae, praesertim in diebus solemnibus, cum saltem duae tertiae partes Capituli adesse debeant pro servitio chori, et Ecclesiae; sicut omnes adesse debent tempore Adventus, Quadragesimae, Octavarum Nativitatis, et Resurrectionis Domini, Pen-

(a) *Tom.* 5. *P.* 3. *cap.* 5. §. 2. *vers. ex quo alterius.*
(b) *Loc. cit.*
(c) *Discept. eccles.* 115. *n.* 15.

Pentecostes, et Corporis Christi, juxta decretum ejusdem Tridentini *sess.* 23. *de reformat cap.* 1., quod licet de Episcopis loquatur, complectitur etiam Canonicos, sive eos, qui sunt ad residentiam obligati. Itaque declaravit Sacra Congregatio, ut testatur idem Pitonus (*a*), sine licentia Episcopi, et Capituli eos abesse non posse. Declarationes autem contrarias accipiendas esse de *substantia*, nempe de ipsa discessione, docet idem Pitonius (*b*), cum ea impediri nequeat ab Episcopo praetextu non justae causae, quam ad ipsum non spectat, sed ad ipsorum Canonicorum conscientiam, examinare; non de modo discedendi, cum quoad modum, ne Ecclesia ex eorum absentia in divinis detrimentum patiatur; subesse cogantur tam Episcopo, quam Capitulo. Quod maximopere notandum pro notitia Curiarum ecclesiasticarum in expediendis *litteris formatis communicatoriis*, ut eas apposite ad veterem Ecclesiae disciplinam appellat Cabassutius in sua *Notitia ecclesiastica* (*c*) summa eruditione, licet non pari critice, scripta, seu, ut hodie dicuntur, *dimissoriis*.

Poenam quoque contra Canonicos non residentes Concilium decrevit *dict. sess.* 24. *cap.* 12. nempe *ut primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae, ac residentiae fecit suos: quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. crescente vero contumacia*,

(a) *Loc. cit.*
(b) *Loc. cit.*
(c) *Notit. ecclesiast. saeculi II. dissert.* 7. *n.* 2.

cia, *contra eos juxta Sacrorum Canonum constitutiones procedatur*, idest ad privationem, ut decrevit Gregorius IX. in *cap. fin. de cleric. non resid.*. Quibus ex verbis non obscure colligitur (animadvertit Cabussutius (*a*)) dictam poenam esse ferendae, non latae sententiae.

Non desunt tamen justae causae, quae longiorem absentiam Canonicis permittunt. Et primo abesse diutius possunt pro servitio Ecclesiae, vel Episcopi, ut decrevit Alexander III. in *cap. 7. de cleric. non resid.*, modo plures, quam duo, Canonici non sint, ut decrevit Honorius III. in *cap. 15. eod. tit.*; vel pro servitio S. Sedis ad Ecclesiae pariter utilitatem, ut decrevit Coelestinus III. in *cap. 14. eod. tit.*. Secundo, ut doceant, vel discant Sacram Scripturam *publice in scholis*, ut decrevit Tridentinum *sess. 5. de reform. cap. 1.*, vel Sacram Theologiam per quinquennium *in scholis*, ut decrevit Honorius III. in *cap. ultim. de Magistris*, vel ut vacent studio *Juris divini*, *et humani*, Canonici videlicet, et Civilis, ut inquit Innocentius IV. in *cap. 2. de privileg. in VI.*, quod desumtum est ex Concilio Generali Lugdunensi. At id intelligendum esse de studentibus apud Sedem Apostolicam, quibus *dictum capitulum* indulgentiam concessit gaudendi privilegiis, quibus gaudent studentes in scholis, ubi generale regitur studium, docet Glossa ibid. *vers. sedem eamdem*, *lit. E.*

Verum Juris Canonici interpretes, aliique Canonistae hujusmodi privilegium interpretantur de studentibus etiam alibi, quam apud S. Sedem (*b*), modo

(a) *In Theor. jur. lib. 5. cap. 1. n. 5.*
(b) Cabassut. *in Theor. jur. loc. cit. n. 7.*

do revera studeant, quia indulgentia percipiendi fructus in absentia studiorum gratia non competit eis, qui absunt *in fraudem*, ut verbis loquar Innocentii III. in *cap.* 12. *de cleric. non resid.*. Itaque, si *negligenter, et inutiliter dant operam litteris*, ut ait Fagnanus (*a*), possunt ab Episcopo revocari; *quia scholares non attendentes, nec studentes non gaudent privilegio scholarium, nec scholares sunt nominandi*, ut inquit idem Fagnanus. Et monet Wan-Espenius (*b*), *ut Episcopi, aliique Superiores de vita, et progressu in studiis Canonicorum studentium inquirant, eosque obligent, ut Doctorum testimonia, quibus suam in studiis diligentiam probent, exhibere quotannis jubeantur*.

Docentes vero Jus Canonicum in publica Universitate gaudere privilegio percipiendi fructus, seu proventus canonicatuum, etiam in Cathedralibus ejusdem Civitatis, ubi docent, exsistentium, censuit Sacra Congregatio, prout refert idem Wan-Espenius (*c*); addit Honorius III. in *dict. cap. ultim. de Magistris*; *de licentia Sedis Apostolicae*: subjicit tamen Glossa *verb. de licentia litt. H.*, *scilicet generali, concessa auctoritate hujus Constitutionis; unde non est necesse aliam indulgentiam impetrare*. Hanc vero limitant Doctores (*d*) ad casum, quo studentes sint 30. annis minores; et generatim

(a) *Ad cap. cum ad hoc, de cler. non resid. n.* 11., Antonell. *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 3.

(b) *Loc. cit.* §. 4.

(c) *Loc. cit.* §. 3. *vers. cum igitur*.

(d) Ap. Antonell. *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 4., *et* Barbosa *de offic. Episcop. P.* 3. *alleg.* 56. *n.* 29.

tam pro studentibus, quam pro docentibus, si studeant, aut doceant in publica Universitate, seu in scholis publicis, ubi *generale regitur studium*, ut explicat Innocentius IV. in *dict. cap. 2. de privileg. in VI.*, non alibi: et super *dict. cap. ultim. de Magistris*, communiter animadvertunt, illud quinquennium, de quo ibi loquitur Honorius III., accipiendum esse de studentibus, non de docentibus, qui possunt abesse sine ulla temporis praefinitione, ut tradunt ipsi (*a*).

Igitur ob causas supradictas possunt legitime abesse, et lucrari praebendas, non tamen distributiones quotidianas, ut decrevit Tridentinum *ead. sess.* 24. *de reform. cap.* 12., in usum revocando Bonifacii VIII. decretum in *cap. unic. de cleric. non resid. in VI.*, quo nullo titulo Canonici lucrari possunt hujusmodi distributiones, etiam pro anniversariis defunctorum, quae proinde inter praesentes dividendae sunt, et exactae iisdem restitui debent, remota quacumque contraria consuetudine, *exceptis illis* (verba sunt Bonifacii), *quos infirmitas, seu justa, et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusarent*. Corporalis autem necessitas talis esse debet, *ut quis sine morali incommodo officio divino assistere nequeat*, ut explicat Wan-Espenius (*b*), quod ad Medicorum potius, quam ad Judicum judicium remittitur, ut ipse subjicit; modo absentia procedat ex ipsa necessitate, cum, si neque sanus solitus fuerit residere, non possit distributiones lucrari, ut recte ipse ani-

(a) Apud Antonell. *loc. cit n.* 5.

(b) *Loc. cit.* §. 5. *vers. ex hac*, *vers. quae vero*, *et vers. illud constat*.

animadvertit (*a*). Evidens autem utilitas, ut excuset, debet esse Ecclesiae *in specie*, nempe illius Ecclesiae, cujus sunt distributiones, non Ecclesiae *in genere*, aut Ecclesiae diversae (*b*); unde deducit Wan-Espenius (*c*), non solum absentes causa studiorum, sed etiam pro servitio S. Sedis, distributiones non lucrari.

Ad necessitatem corporalem referunt quoque Canonistae (*d*) captivitatem, exilium injustum, excommunicationem majorem, sive aliam causam, ob quam involuntarie, et sine culpa quis cogatur abesse, qui proinde distributionibus quotidianis non privatur. Ad Ecclesiae utilitatem referunt negotia Capituli ex ejusdem Capituli commissione (*e*); ministrationem Sacramentorum, etiam extra Ecclesiam, si ex ejusdem Ecclesiae consuetudine deferri oporteat Viaticum ad infirmos; vel celebrationem missae in eadem Ecclesia pro commodo populi, modo accedat praeceptum Superioris, aut Capituli consensus (*f*): quo tamen non indiget Canonicus Poenitentiarius, qui, si confessiones excipiat, semper censetur praesens in choro, ut infra dicam. Sic praesentem quoque haberi in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis Dignitatem, quae curam animarum habet in dioecesi extra civitatem, si in eadem Ecclesia curata re-

(a) *Loc. cit.*. Card. de Luca *in adnotat. ad S. C. T. disc.* 15. *n.* 4.
(b) Fagnan. *ad cap. licet*, *de praebend. q.* 160.
(c) *Loc. cit. cap.* 5. §. *haec conclusio*.
(d) Cabassut. *in Theor. jur. loc. cit. n.* 6. Card. de Luca *loc. cit. disc.* 15. *n.* 18.
(e) Cabassut. *loc. cit. n.* 6.
(f) Card. de Luca *in adnot. ad S. C. T. disc.* 15. *n.* 5.

resederit, et ministraverit, decrevit Trid. *sess.* 22. *de ref. cap.* 3..

Cessante consuetudine, aut statuto, subdit Trid., *ut dictae dignitates non servientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum, et proventuum ascendat*; quod et de Canonicis, qui eamdem curam animarum habent, dicendum esse docent Canonistae (*a*). *Tertiam* inquam *partem*: nam Concilium decrevit *loc. cit.*, ut *Episcopi, etiam tamquam Delegati Apostolici, ex fructibus, et proventibus quibuscumque omnium dignitatum, personatuum, et officiorum in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assignandas dividere possint, ut scilicet, qui eas obtinent, si personaliter competens ibi servitium juxta formam ab eisdem Episcopis praescribendam quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant, sed fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur*.

Et hae sunt verae distributiones, quas Canonistae vocant *minutas* (*b*) ad differentiam distributionum *massae grossae*, quae fiunt in fine anni, nempe si fiat communio, seu societas praebendarum inter se pro faciliori, et magis oeconomica administratione. Tunc enim, si praebendae non exsistant, distributiones succedunt in locum praebendarum, et debentur etiam absentibus ex causa studii, aut ex aliis causis, ob quas de jure distributiones non deberentur, retenta natura distributionum quo-

(a) Ap. Wan-Espen *loc. cit.* §. 5. *vers. similiter quia.*
(b) Ap. Card. de Luca *loc. cit. disc.* 15. *n.* 3.

quotidianarum (a). Si vero distributiones fiant per *punctaturas*, ut vulgo appellantur, pro ratione servitii Ecclesiae; tunc retinentes veram distributionum quotidianarum naturam absentibus non debentur, etiamsi massa distributionum constituatur non solum ab anniversariis, aliisque distributionibus, quas Canonistae vocant *manuales*, utpote ad *fundum* Ecclesiae, ut ipsi ajunt, non pertinentes, quia *dantur ad manum*, ut ait Glossa *ad dict. cap. unic. de cleric. non resident. in VI.* (b); verum etiam a proventibus bonorum, etiam stabilium, Ecclesiae: sed omnino dividendae sunt inter praesentes (c), *quavis collusione, aut remissione exclusa*, ut decrevit Tridentinum *dict. sess.* 24. *de reform. cap.* 12.. Itaque neque remitti possunt per Canonicos praesentes (d), imo ex Canonistarum doctrina tradit Wan-Espenius in Addit. (e), dictas *manuales* distributiones percipi non posse ab absentibus etiam ex causis, ex quibus percipi possunt distributiones quotidianae, quia debentur iis, *qui actu, et praesentia personali, et reali* anniversariis, aliisque functionibus intersunt. *Plus dico* (inquit Glossa *ad dict. cap. unic. de cleric. non resident. in VI. verb. receperit*), *quod in Ecclesiis, in quibus sunt distinctae praebendae, et postea est mensa communis grossa, et postea distributiones, solum in his distributionibus, et non in illa mensa grossa locum habeat haec decretalis*. In ea enim decretali Boni-

(a) Card. de Luca *loc. cit. num.* 8.
(b) Wan-Espen *in not. ad loc. cit.* §. 5. *lit. A.*
(c) Card. de Luc. *loc. cit. n.* 8., *et* 16.
(d) Card. de Luc. *loc. cit. disc.* 15. *n.* 16.
(e) *Loc. cit. lit. A.*

nifacius VIII. decrevit absentibus non deberi distributiones quotidianas, excepta corporali necessitate, aut evidente Ecclesiae utilitate, ut supra dixi.

Utrum autem a *punctaturis* exemti sint Canonici associantes Episcopum in S. Visitatione civitatis, vel dioecesis, definiendum esse ait Cardinalis de Luca (*a*) ex consuetudine, vel ex qualitate Ecclesiarum, seu beneficiorum; puta si nullae, aut nimium modicae sint praebendae, adeo ut totum fere emolumentum in participatione distributionum consistat, hae in locum praebendae succedere videntur *ad hujusmodi effectus, non tamen ad alios, in quibus absentia dici quidem potest justa pro excusatione a residentia, non autem pro altera interessentiae*, ut recte subjicit idem Cardinalis de Luca (*b*).

Denique a *punctaturis* exemtus est Vicarius curatus Capituli, qui in altera Ecclesia curam animarum exercet eidem Capitulo adnexam, nisi portionem congruam distinctam habeat a participatione massae distributionum, ne duplex lucrum habeat, si revera portio congrua sit distincta a participatione massae. Nam aliter se res habet, *si in congruam computetur participatio massae, cum tunc punctari non debeat*, ut inquit idem Cardinalis de Luca, qui testatur idem *frequenter* decrevisse Sacram Congregationem (*c*). Imo etiam distincta a participatione massae non impedit ipsius massae participationem, si oneri, non curae ani-
ma-

(a) *Loc. cit. disc.* 15. *n.* 7.
(b) *Eod. loc. cit. n.* 7.
(c) *Loc. cit. disc.* 15. *n.* 7.

marum, sed alterius servitii Ecclesiae adnexa sit (*a*). Lucrum vero stipendii celebrationis missarum privatarum (non tamen *conventualium*) semper deducendum est pro iis Canonicis, qui eas celebraverint, ita ut numquam cedere possint commodo absentium, quia *in his non datur adimplementum fictum, seu per aequipollens*, ut loquitur idem Cardinalis de Luca (*b*).

Hic obiter notandum in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis praeter missam parochialem, si curam animarum adnexam habeant, aut canonicalem, praebendae forsan adnexam, celebrandam esse missam conventualem, offerendam, seu applicandam pro ipsarum Ecclesiarum benefactoribus *in genere*; adeo ut, si Ecclesiae curam animarum habeant, Canonici canere teneantur missam conventualem pro benefactoribus, et pro missa parochiali substituere Sacerdotem, qui eam celebret, et offerat pro populo, non obstante paupertate, aut quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili, juxta Sacrorum Canonum Sanctiones, et uniformes Sacrae Congregationis decisiones confirmatas a Benedicto XIV. in sua Encyclica data die 19. Augusti anni 1744., quae incipit, *Cum semper oblatas nobis occasiones*.

Haec missa originem desumere videtur ex antiquis diptychis ecclesiasticis, seu ex antiquo Ecclesiae ritu, de quo late agit Cabassutius in *Notitia Ecclesiastica saeculi* II. (*c*), offerendi peculiares Deo preces pro quibusdam personis tum vivis, tum defunctis, idest pro

(a) Card. de Luca *de Paroch. disc.* 20. *n.* 9.
(b) *De Paroch. dict. disc.* 20. *n.* 8.
(c) *Dissert.* 15. *pag.* 37.

pro Summo Pontifice, pro Imperatoribus, et Regibus, pro Episcopo loci, ubi sacrum fiebat, denique pro fidelibus, qui munera, et oblationes ad sacrum, divinumque cultum conferebant. Insignium autem benefactorum, puta fundatorum ipsius Ecclesiae, ubi sacrum fiebat, perpetua fiebat commemoratio. Quorum omnium nomina per Diaconos publice ex diptychis, seu tabulis, aut libris, in quibus scripta erant, inter sacra mysteria recitabantur: cujus ritus antidoralis innumera leguntur veterum monumenta praesertim *in Can. 19. Concilii Emeritensis*. Unde oritur illud jus honorificum Ecclesiae Patrono debitum, de quo suo loco dicam, quod a Canonistis *honor precum* appellatur. Hinc manifestissime patet, non esse omnino novum in Ecclesia ritum, ut in Canone missae fiat expressa commemoratio Regum in Ecclesiis in suis Dominiis existentibus; quae quo quidem jure fiat, qua justitia, ex praedictis quisque facile judicabit.

CA-

CAPUT IX.

De aetate, et ordine ad beneficia obtinenda requisitis.

PRimis Eccleſiae saeculis, ut beneficia non erant ab ordinatione divisa, ita de aetate, et certo ordine ad ea obtinenda requisitis nihil decerni oportebat. Etenim *canonice obtinebantur omnia olim beneficia in ipsa ordinatione: simul enim uno, eodemque actu ordo, et jus percipiendi stipendia ecclesiastica conferri debebant; adeo ut nemo admitteretur ad ordines, nisi locus vacaret in aliqua Ecclesia, ad quam ordinaretur, ut ibi ordini suo injuncta ministeria praestaret: quare aliquando absolute beneficia vocantur ordinationes*, ut inquit eruditissimus Franciscus Florens (*a*). Sed cum ab ordinatione fuerint divisa, eorumque collatio ad Ordinarii facultatem fuerit remiſsa, fuit etiam a jure praefixa aetas major, aut minor pro diversa beneficiorum, aut fundationum qualitate.

Et de aetate quidem ita statuit Concilium Lateranense sub Alexandro III. an. 1177.: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum aetatis annum exegerit .... Inferiora etiam ministeria, utputa decanatum, archidiaconatum, et alia, quae curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec Parochialis Ecclesiae regimen, nisi qui jam vicesimum quintum annum aetatis attigerit, et scientia, et moribus commendandus existat. Cum autem* as-

(a) *In suis oper. jurid. Tom.* 2. *ad lib.* 3. *decretal. tit.* 5. *pag.* 195. *in praefatione, vers. Canonice vero.*

assumptus fuerit, si Archidiaconus in Diaconum, et Decanus, et reliqui admoniti, non fuerint praefixo a Canonibus tempore in presbyteros ordinati; et ab isto removeantur officio, et aliis conferatur, qui et velint, et possint illud convenienter implere.

Quod Lateranensis Concilii decretum, de quo mentio fit in *cap. cum in cunctis, de election. et elect. potestate*, ubi Alexander III. ait, *ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui tricesimum annum aetatis exegerit; et de legitimo matrimonio sit natus etc.*, innovavit Tridentinum *sess.* 24. *de ref. cap.* 12., ubi statuit, *ut nemo deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vicesimum quintum suae aetatis annum attigerit, et in clericali ordine versatus doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur juxta Constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quae incipit, Cum in cunctis etc.. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in Theologia, seu doctores, aut licentiati in Jure Canonico. Ad ceteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei, et viginti duobus annis non minores, adsciscantur*. Et *sess.* 23. *de ref. cap.* 6. *ut nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.*

Igitur aetas requisita pro Episcopatu est triginta annorum completorum, pro dignitatibus, quibus est adnexa cura animarum, est vigintiquinque annorum inchoatorum (a), pro dignitate

---

(a) Van-Espen *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 2. *n.* 6. 7. *et* 9.

tatibus sine cura animarum viginti duorum annorum completorum, cum Synodus dicat *viginti duobus annis non minores*, prout pluries Sacram Congregationem declarasse refert Fagnanus relatus a Wan-Espenio (*a*), et meminit Garzias (*b*): quod intelligendum esse de dignitatibus Ecclesiarum etiam Collegiatarum, post Garziam (*c*) tradit idem Fagnanus ex declaratione ejusdem Sacrae Congregationis, rejecta uti apocrypha contraria ejusdem Congregationis declaratione relata ab Emanuele Rodrigues. Cujus quidem declarationis ratio desumitur ex verbis ipsius Tridentini, quod cum utatur dictione *praesertim*, et dictionibus *quascumque*, et *ad ceteras*, satis aperte videtur ad dignitates dumtaxat Cathedralium suum decretum non limitasse, ut recte ad eadem Tridentini verba animadvertit Wan-Espenius (*d*).

Illud vero beneficium curatum non dicitur, quod habet solum officium concionandi, aut confessiones excipiendi, cum possit dictum officium esse etiam sine *proprie dicta cura animarum*, ut inquit Van-Espenius (*e*). Sed *proprie* curatum dicitur, si habeat *ea omnia, quae saluti animarum populi, aut Cleri, cujus cura beneficio annexa est, necessaria, et utilia sunt: ut sunt administratio sacramentorum, non tantum poenitentiae, sed et eucharistiae, extremae unctionis, et matrimonii, aliaque*

(a) *Ap.* Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 1. *n.* 9.
(b) *De benef. P.* 7. *cap.* 4. *n.* 70.
(c) *Loc. cit. n.* 58.
(d) *Loc. cit. cap.* 1. *n.* 10.
(e) *Loc. cit. tit.* 1. *cap.* 4. *n.* 3.

plura, ut ipse subjicit (*a*). Et non existente titulo claro utrum cura animarum beneficio incumbat *principaliter*; an *accessorie*, ut loquitur Cardinalis de Luca (*b*), *recurritur ad conjecturas*; *illam praesertim deductam ab observantia*, *an scilicet beneficium conferri consueverit per concursum*, *vel sine*, *et an consueverit esse residentiale*, *cum similibus*, ut ipse docet (*c*) post Fagnanum ad *cap.* 1. *de capellis Monachorum*. Et idem de jure obtinet in Collegiis, *si ex Ecclesiae usu* (*quem tamen Concilium non laudat*) *idem exercitium* (nempe curae animarum) *sit penes omnes Canonicos*, *vel Beneficiatos*, ut notat idem Cardinalis de Luca in *adnot. ad S. C. Tridentinum ad sess.* 23. *de ref. cap.* 6. *disc.* 24. *n.* 5.

In aliis vero beneficiis aetas quatuordecim annorum inchoatorum sufficit, ut patet ex declaratione ejusdem Sacrae Congregationis, quam refert quoque Fagnanus, et ex eodem supradicto Tridentini decreto non obscure deducit idem laudatus Wan-Espenius (*d*): inter quae beneficia canonicatus quoque Collegiatarum comprehendi communiter receptum est, cum de iis nihil Concilium praescripserit, ut patet ex declaratione Sacrae Congregationis Concilii; quam refert Piasec. (*e*), et Antonell. (*f*); modo dicti canonicatus adnexam non habeant ex fundatione, sive alio titulo, obligationem canendi missas, evangelium, aut epistolas, qui sub alio Tri-

(a) Wan-Espen. *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 1. *cap.* 4. *n.* 3.
(b) *De benefic. disc.* 95. *n.* 14.
(c) *Loc. cit.*
(d) *Loc. cit. n.* 11. *vers. conformiter.*
(e) *In prax. episc. P.* 2. *cap.* 5. *n.* 21.
(f) *Lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 49.

Tridentini decreto *sess.* 22. *de ref. cap.* 4. comprehunduntur, nempe ut infra annum promoveri debeant ad ordines requisitos (*a*). Et idem, quod de canonicatibus Ecclesiarum Collegiatarum dictum est, de canonicatibus Cathedralium etiam esse intelligendum docet Fagnanus (*b*), cui consentit Wan-Espenius (*c*), non facta per Episcopum adnexione, ac distributione praescripta ab eodem Tridentino *sess.* 24. *de ref. cap.* 12., ubi Concilium decrevit, ut *in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes canonicatus, et portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio Capituli designet, et distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris in posterum annexus esse debeat.*

Igitur (ajunt ipsi) quamvis nemo ad canonicatum Ecclesiarum Cathedralium promovendus sit, qui ad subdiaconatum infra annum promoveri nequeat, ut infra dicam in hoc eodem Capite, cum tamen non facta fuerit per Episcopum adnexatio juxta antedictum decretum Tridentini, sufficit ea aetas, quae requiritur pro aliis beneficiis, nempe quatuordecim annorum. Dum enim Concilium mandavit Episcopo, ut dictam adnexationem, et distributionem faceret pro diversa ordinum presbyteratus, diaconatus, et subdiaconatus regula statuenda, si adnexatio, et distributio prius facta non sint, neque aetas pro iisdem ordinibus praescripta censetur; et ita servari de con-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 1. *n.* 13.
(b) *Ad can. cum in cunctis, de elect. n.* 70.
(c) *Loc. cit. cap.* 1. *n.* 14.

consuetudine testatur Antoine (*a*). Quod intelligendum, ubi viget consuetudo, docet Cardinalis de Luca (*b*): *ex pluribus*, inquit, *declarationibus Sacrae Congregationis, et observantia Datariae receptum est, in canonicatibus Cathedralis, quamvis nulla ordinis annexio facta sit, requiri saltem aetatem, quod infra annum promoveri possit provisus ad primum ordinem sacrum, ut maturius, examinata materia, declarando primam resolutionem, late habetur in dicta Monasterien. Canonicatus 10. Junii 1648. coram eodem Ehislerio dec. 205. part. 10. rec., quae videtur in materia magistralis: ibique advertitur, quod licet in Germania, etiam sine dispensatione, vel derogatione Concilii hujusmodi canonicatus conferri soleant constitutis in aetate quatuordecim annorum, attamen id provenit ex particulari consuetudine etc.*

Eadem aetas quatuordecim annorum inchoatorum fuit praescripta novissimo Concordato *cap.* 4. §. 3. pro titulo beneficii ad primam tonsuram requisiti; modo (addit §. seq.) quis non sit arctatus, seu passive vocatus ad aliquod beneficium fundatum ante Concilium Tridentinum, cum tunc sufficiat aetas, quae de jure canonico requiritur pro prima tonsura, nempe septem annorum completorum (*c*). Pro Poenitentiaria requiritur aetas quadraginta annorum completorum, *seu alias* (subdit Tridentinum *sess.* 24. *de ref. cap.* 8.) *qui aptior pro loci qualitate reperiatur*; prae-

(a) *In Theol. mor. in tractat. de benef.* §. 5. *n.* 3.
(b) *De benefic. disc.* 95. *n.* 15. *vers. ita vero.*
(c) Card. de Luca *in adnotat. ad S. C. T. disc.* 24. *num.* 2.

praeterea requiritur, juxta idem Tridentinum, ut *magister sit, vel doctor, aut licentiatus in Theologia, vel Jure canonico*; et ita electus Poenitentiarius, *dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur*, ut *eod. cit. loc.* concludit Tridentinum.

Quoad ordinem vero in beneficiis requisitum praemittenda distinctio. Ordo requiritur aut *actu*, aut *habitu*, seu *in potentia*, ut loquuntur Canonistae. Si requiritur actu, non potest beneficium conferri, aut ad illud prasentari, qui *actu* in illo ordine non sit constitutus: si *habitu*, sufficit ut in termino a jure praefinito possit ad ordinem promoveri. Haec distinctio, quae tandem in theoricam transiit in Rota, et in Sacra Congregatione, fuit communiter recepta per Canonistas (a), et ejusdem Rotae, ac Sacrae Congregationis decisionibus saepius comprobata, prout testatur Fagnanus (*b*). Igitur verba fundationis attendenda sunt. Si enim Fundator conditionem adposuerit, ut praesentandus, aut instituendus sit, qui *actu* in illo ordine est constitutus; aut non praesentandus, vel instituendus sit, nisi *actu* sit in illo constitutus; aut non expressa dictione *actu*, aut *actualiter*, dixerit esse instituendum Sacerdotem, qui missam per hebdomadam celebret; aut fundationem expresserit verbis, quae explicant necessitatem illius ordinis tempore praesentationis, institutionis, aut collationis, communi calculo censuerunt

(a) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 3. *et seq.*
(b) *Ad cap. Abbates, de aetat. et qualit. ordinand. num.* 54.

runt Canoniſtae (*a*) tunc requiri *actu* ordinem requiſitum, neque ſufficere, ut ad illud quis promoveatur in termino a jure praeſcripto.

Si vero verba fundationis non explicent neceſſitatem illius ordinis pro actu praeſentationis, inſtitutionis, aut collationis, ſed explicent dumtaxat munera, ſive functiones obeundas a beneficiato poſt beneficium obtentum; ſufficit, ut in termino a jure praefinito ad ordinem promoveatur neceſſarium muneribus, ſeu functionibus obeundis: ut puta ſi Fundator explicans munera ab eodem beneficiato obeunda dixerit, ut miſſas *per ſe* celebret, aut teneatur *perſonaliter* in Eccleſia reſidere, ibique miſſas celebrare, quia hujuſmodi verba ipſum actum collationis, praeſentationis, aut inſtitutionis non complectuntur, ſed munus tantum beneficiati, functioneſque ab eo peragendas. Licet in dubium revocari nequeat, quin habitu beneficium ſit *Sacerdotale*, cum teneatur ad reſidendum in Eccleſia, in eaque celebrandas miſſas, ut deciſum refert Fagnanus (*b*).

Itaque ad dignoſcendam beneficii, aut capellaniae qualitatem plurimum valet obligatio reſidendi, aut celebrandi miſſas in eadem Eccleſia impoſita a Fundatore. Sed nulla in fundatione de hujuſmodi obligatione facta mentione, quidquid de jure ſit, univerſalis ſaltem conſuetudo fert, quam teſtatur Wan-Eſpenius (*c*), ut neque habitu ſit ſacerdotalis, neque ad reſidentiam obliget, ſed ſufficiat ſimplex tonſura clericalis, quae

(a) Wan-Eſpen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 5., *et* 6.
(b) *Loc. cit.*
(c) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 10. 12., *et* 13.

quae requiritur in beneficiis simplicibus. Et quidem ex eadem ratione, qua beneficia simplicia ad personalem residentiam non obligant, neque capellaniam ad residentiam obligare fuit decisum per Rotam; prout refert Garzias (*a*), et pluries per Sacram Congregationem refert Fagnanus (*b*). Qui insuper refert, quod proposito dubio, num capellania fundata sub onere celebrationis missarum, vel adjecta conditione ut capellanus missas celebret, esset sacerdotalis; fuit responsum per Sacram Congregationem, capellaniam non esse sacerdotalem, et missas posse etiam ab aliis sacerdotibus celebrari; prout generali consuetudine, quam testatur ipse Wan-Espenius (*c*), inductum est, ut missarum celebratio aliis sacerdotibus committatur.

Neque obstat decretum Tridentini *sess.* 22. *de ref. cap.* 4., quo loquens de Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis decrevit, ut ii, *qui dignitates, personatus, officia, praebendas, portiones, aut quaelibet alia beneficia in dictis Ecclesiis obtinent, quibus onera varia sunt adnexa, videlicet ut alii missas, alii evangelium, alii epistolas dicant, seu cantent etc., teneantur infra annum ordines suscipere requisitos.* Nam respondet Fagnanus (*d*) decretum Concilii de capellaniis sacerdotalibus fundatis in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis cum obligatione serviendi choro, seu de missis conventualibus, quae dicuntur pars chori, et de officiis di-

(a) *De benef. P. 7. cap. 1. n.* 88.
(b) *Ad cap. Abbates, de aet. et qualit. ordinand. n.* 52. *et* 76.
(c) *Loc. cit. cap. 2. n.* 12.
(d) *Loc. cit. n.* 80.

vinis tantummodo esse intelligendum ; etiamsi fundatae sint cum onere deserviendi in divinis , quia servitium in divinis in dictis Ecclesiis chori servitium significat (*a*). Et quando capellaniae praeter onus celebrationis missarum adjunctum habent onus coadjuvandi Parochum in cantu , et aliis ejusmodi officiis , teneri capellanum ad residentiam docuit Garzias (*b*).

Ordo requisitus in canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium est saltem subdiaconatus , ut patet ex Tridentino *sess.* 24. *de ref. cap.* 12., qui tamen intelligitur *habitu*, non *actu*, ut aperte indicat idem Tridentinum *sess.* 22. *de ref. cap.* 4., modo ordinis adnexatio ab Episcopo facta sit , ut supra animadverti : *habitu*, inquam , scilicet ut , nisi fundatio , statutum, aut specialis Ecclesiae consuetudo breviorem terminum requirat (*c*) , hujusmodi Canonici , seu ad canonicatus assumti, *teneantur, justo impedimento cessante, infra annum ordines suscipere requisitos ; alioquin poenas incurrant juxta constitutionem Concilii Viennensis, quae incipit, Ut iis, qui etc.* ut decrevit Tridentinum in *cit. sess.* 22. *de ref. cap.* 4.. Haec Viennensis Concilii constitutio est in *Clementina* 2. *de aetate , et qualitate , et ordine praeficiendorum* . Quo Tridentini decreto absolute praefinitum fuisse terminum unius anni, notat Fagnanus (*d*) , computandum a die adeptae pacificae possessionis , ut super interpretatione Concilii Lugdunensis declaravit Bonifacius VIII. in *cap.* 35. *de*

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 17.
(b) *De benefic. P.* 7. *cap.* 1. *n.* 89.
(c) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 2.
(d) *Ad cap. cum in cunctis, de elect.*

35. *de elect. in VI.*, modo per promotum ad Canonicatum non ſteterit, quominus ordines ſuſciperet.

Idem decrevit Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. in *cap.* 54. *licet canon.*, *de elect.* *in VI.* ſub poena privationis eo ipſo; Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. in *cap.* 7. *de elect.*, et Bonifacius VIII. *in dict. cap.* 35., et *in cap.* 22. *de elect. in VI.*, ubi tamen ex conſtitutione Concilii Lugdunenſis privationem ipſo jure, uti poenalem, ad ſolas Parochiales limitavit: in aliis vero *antiqua jura ſervari debere* ſubdidit. Quam Bonifacii conſtitutionem, ut poena privationis ipſo jure non obtineat, ſed requiratur monitio, ampliat Rebuffus (*a*), et extendit ad decanatus, praepoſituras, et archidiaconatus, et ad Eccleſias quoque curatas, non tamen vere parochiales. Verum promotus ad Eccleſiam, etiam parochialem, privari non debet, ſeu amoveri a Parochia, ſi infra annum ordines non ſuſceperit, niſi ipſo citato, et audito in juribus ſuis, ut legitime conſtet, num poſſit dici privatus, vel aliqua juſta cauſa excuſetur juxta illa ejuſdem Tridentini verba, *juſto impedimento ceſſante*, ut appoſite ad *cap. licet Epiſcopus, de praebend. in VI.*, et recte monet idem Rebuffus (*b*), et praxis obtinet in omnibus judiciis ſententiae declaratoriae alicujus poenae incurſae, ut Forenſium verbis loquar: quae conſentanea eſt puritati canonum, et civili quoque politiae, qua nemo condemnari debet, niſi juris ordine ſervato, audito in ſuis defen-

(a) *Tit. de non promotis n. 30. et 60.*
(b) *Loc. cit.*

fenſionibus reo, et examinatis cauſis in ſui defenſionem adductis.

Verum cum jure canonum adhibenda sint inter ordines interstitia, quae ſervari nequeunt per promotum ad Ecclesiam parochialem, niſi ſit in tali ordine constitutus, ut promoveri poſſit ad presbyteratum infra annum, nemo ad Parochiam de jure eſt aſſumendus, qui non ſit in ordine ſaltem ſubdiaconatus conſtitutus, ut ſatis patet ex *cap. 5. de aetat. et qualit., et ordine praeficiendorum*. Sed in praxi recepta eſt opinio Rebuffi, ut ſufficiat tonſura clericalis, quam teſtatur Fagnanus (*a*). *Cum enim* (reddit hujusmodi praxis rationem Wan-Eſpenius (*b*)) *Ecclesia optet, ut promotio ad sacros ordines potius fiat titulo beneficii, quam titulo patrimonii, haud difficulter permittit, ut beneficium etiam ante ordinem sacrum susceptum clerico conferatur, et super interstitiis dispensetur, si ordinum accelerationem ipsum beneficium requirat*. Verum ſi promotus ad beneficium parochiale illud receperit cum intentione non ſuscipiendi infra annum ordinem presbyteratus, reſtituere fructus perceptos tenetur ex decretali Bonifacii VIII. in *cap. 35. de elect. in VI.*, quam et de promotis ad alia beneficia non parochialia intelligendam eſſe non pauci Canoniſte ſentiunt (*c*), cum Bonifacii decretum in jure potius naturali, quam poſitivo fundatum ſit, niſi (ſubdit idem Bonifacius) *mutata*

(a) *Ad cap. praeterea, de aetat., et qualit. ordinandorum.* 8.

(b) *Loc. cit cap.* 3. *n.* 12.

(c) Ap. Wan-Eſpen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 20.

tata voluntate promotus fuerit, scilicet, *ad sacerdotium infra annum*, ut explicat Glossa *verb. promotus fuerit*, *litt. M.*

CAPUT X.

De scientia, aliisque requisitis ad beneficia obtinenda.

CUm beneficiis onera varia pro varia beneficiorum, et fundationum qualitate adnexa sint, diversa quoque scientia, vel qualitas requiritur pro diversitate onerum beneficiorum. Ordinaria scientia talis esse debet, qualis de jure, vel ex lege fundationis necessaria est, *ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere*, ut loquitur Tridentinum *ead. sess.* 22. *de ref. cap.* 2. Hinc in beneficiis simplicibus non dicitur clericus idoneus ad ea obtinenda, si nesciat recitare officium divinum, ad quod de jure obligatur (*a*): quod tamen intellige, *si verisimilis saltem appareat spes, quod operam suam utiliter Ecclesiae impendet, et dignus erit, qui de proventibus Ecclesiae vivat*, ut antea dixi verbis Wan-Espenii; cum beneficium numquam detur propter officium divinum, sed propter officium, seu ministerium ecclesiasticum, ut satis superque probavi ipsa beneficiorum institutione, quidquid alii dicant (*b*).

Si

(a) Genuens. *in prax. Cur. Archiepisc. Neap. cap.* 98. *num.* 3.

(b) Ap. eumd. Genuens. *loc. cit. n.* 1. 2., *et* 3.

Si beneficium sit parochiale, praesertim si cura ei adnexa sit, ea scientia requiritur, quae sufficit pro recto animarum regimine, major, aut minor pro majore, vel minore qualitate, et numero Cleri, et populi. Si sit dignitas, aut canonicatus Ecclesiae Cathedralis, ea scientia necessaria est, quae sufficit, ut Episcopum consilio, et opera adjuvent; cum Capitulum Ecclesiae Cathedralis sit *Senatus Ecclesiae*. Ita tradunt communiter Canonistae (a).

De dignitatibus cum cura animarum sic loquitur Tridentinum dicta *sess.* 24. *de ref. cap.* 12.: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vicesimum quintum suae aetatis annum attigerit, et in clericali ordine versatus doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur etc. Hortatur, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis, et Collegiatis insignibus conferantur tantum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico*. Et *dict. sess.* 22. *de ref. cap.* 2.: *Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, aetate, moribus, et vita, ac aliis, quae a sacris canonibus requiruntur, plene sit praeditus; verum etiam in sacro ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus etc.: scientia vero praeter haec ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere; ideoque antea in Universitate studiorum magister,*

(a) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 4., *et* 5.

giſter, ſive doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia, vel Jure Canonico merito ſit promotus, aut publico alicujus Academiae teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur.

Abſit tamen credere per Tridentinum hoſce gradus requiri tamquam *titulos honoris*, ne Eccleſiae pro *doctoribus* impleantur *doloribus*, cum multi hodie doctores ſint, qui merito verbis Proſperi Caravita (a), *dolores legis* appellari deberent; *ſed tamquam publicum eruditionis teſtimonium, quo promovendus ad Eccleſiam Cathedralem idoneus ad alios docendos oſtendatur*, ut optime ad rem animadvertit Wan-Eſpenius (b) explicans ſupradicta verba Tridentini.

Inſpicienda quoque qualitas requiſita ex fundatione Eccleſiae, ſtatuto, aut conſuetudine, ut recte ſubjicit idem Wan-Eſpenius (c); puta ſi in fundatione beneficium reſervatum ſit certo generi perſonarum; aut ex conſuetudine, quae in multis viget Eccleſiis, ut dignitates eligantur ex numero canonicorum ejuſdem Eccleſiae. Denique requiritur, ut is, cui beneficium confertur, non ſit conjugatus, *niſi forte caſtitatem voveret perpetuum, et qui unicam, et virginem habuiſſet uxorem*, ut ait Alexander III. in *cap. 2. de cleric. conjugat.*; neque ſit illegitimus, nempe naturalis, aut ſpurius, qui ſine diſpenſatione Pontificia incapax eſt ordinum, et beneficiorum, ut Cantuarienſi Archiepiſcopo reſpondit Innocentius

(a) *Super ritu* 166. *n.* 1., *et* 30.
(b) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 7. *verſ. hoc, et verſ. cum hoc.*
(c) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 17., *et* 22.

tius III. in *cap.* 20. *de election. et elect. potest.*, nisi ordines minores sint, aut beneficia simplicia, in quibus potest Episcopus dispensare, ut decrevit Bonifacius VIII. in *cap.* 1. *de filiis presbyteror. in VI.*, nempe beneficia non curata, ut ibi Bonifacius ait; non dignitates, aut personatus, ut decrevit Gregorius IX. in *cap.* 18. *de filiis presbyteror. ordinand. vel non*, puta dignitates Cathedralium, quae non dicuntur beneficia simplicia, ut supra dixi.

De stilo Curiae Romanae, quam testatur Rebuffus (*a*), Episcopus nunquam dispensationem hujusmodi concedit in praebendis Ecclesiarum Cathedralium propter praeeminentiam ipsarum; neque Episcopus dispensat, nisi super unico beneficio, ut de illegitimo, qui dispensationem obtinuit a Sede Apostolica, subjicit Bonifacius; quod et de illegitimo, qui dispensationem habet ab Episcopo, intelligendum, cum *eadem sit ratio*, ut docet Glossa ad *id. cap. verb. per sedem*; modo dictum unicum beneficium situm sit extra eam Ecclesiam, in qua pater simile, aut dissimile beneficium habuit, vel habet, cum beneficia, vel ministeria, puta beneficium manuale (*b*), in eadem Ecclesia, aut pensiones super fructibus beneficii, quod pater obtinet, aut obtinuit, *habere non liceat filiis presbyterorum*, *qui non ex legitimo nati sunt matri-mo*

(a) *In prax. benef. Part.* 1. *tit. de dispens. super defect. natal.*

(b) Wan-Espen. *Tom.* 2. *P.* 2. *sect.* 1. *tit.* 10. *cap.* 3. *n.* 24. *et* 25.

monio, ut decrevit Tridentinum *sess.* 25. *de ref. cap.* 15. Filii autem dicuntur etiam ex legitimo matrimonio nati, si legitimati sint per subsequens matrimonium, qui proinde tam ad ordines, quam ad beneficia, etiam majora, habiles sunt, prout ceteri ex legitimo matrimonio nati, etiamsi inter eorum procreationem, et subsequens matrimonium cum muliere, cum qua fuerunt procreati, aliud matrimonium intercesserit; modo non sint nati ex adulterio, incestu, et generatim a parentibus, inter quos tempore copulae erat impedimentum dirimens, ut communiter notant Canonistae ad *cap. tanta, qui filii sint legitimi* (a).

CA-

(a) Apud Wan-Espen. *loc. cit. n.* 32., *et* 33.

CAPUT XI.

De resignatione, permutatione, ac unione beneficiorum.

CUm olim juxta veterem Ecclesiae disciplinam innovatam per Tridentinum (a) beneficia ita essent ordinationi adnexa, ut nullus ad ordines promoveri posset, nisi certae Ecclesiae adscriberetur ad sui ordinis munus obeundum, in qua manere debebat, etiamsi ibi nullum beneficium haberet, ut supra notavi; ita fere ignotum erat nomen resignationis. Itaque Fagnanus (b) scribens apposite ad dictum Tridentini decretum monet, cavendum esse a recentioribus collectoribus, qui docuerunt licitum esse clericis non habentibus beneficium in titulum personalem residentiam requirens eorum Ecclesias dimittere, et Ordinarios teneri *litteras formatas*, seu, ut hodie dicuntur, *dimissorias*, concedere.

Labente vero disciplina, coeperunt resignationes, sed rariores, audiri, quae deinde ex nimia facilitate eas admittendi frequentes factae sunt, nisi clerici fuerint titulo ejusdem beneficii resignandi ad sacros ordines promoti, cum tunc non facta de hoc mentione, et *non constito quod aliunde vivere commode possint* juxta verba decreti Tridentini *sess.* 21. *de ref. cap.* 2., resigna-

(a) *Sess.* 23. *de ref. cap.* 16.
(b) *Ad cap.* 4. *de renunt. n.* 5.

gnatio irrita sit (*a*). Et sensim obtinuit quaedam Juri Canonico, et Ecclesiae usque ad saeculum XV. prorsus ignota distinctio inter *resignationes*, et *renunciationes* (*b*), quae primitus idem sonabant (*c*), nempe ut renunciatio dimissionem beneficii liberam, resignatio dimissionem in favorem alterius denotaret; hac adhibita distinctione, ut resignatio in manibus Summi Pontificis, renunciatio in manibus Episcopi fiat, ut passim notant Canonistae. Verum numquam dicitur perfecta renunciatio, quae nondum ab Episcopo admissa fuerit, ideoque re integra, seu ante admissionem ipsius, potest renunciantem sui facti poenitere. Utrum vero hodie admitti possint ab Episcopo renunciationes non concurrentibus certis, et determinatis causis, et admissa renunciatione, utrum possint ab Episcopo beneficia conferri suis, aut renunciantium consanguineis, affinibus, et familiaribus, vide Wan-Espenium *tom.* 3. *part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 10. *cap.* 2. *n.* 33., *et* 34.

Praeter has duas resignationis species est tertia quaedam resignatio, quae appellatur *resignatio ex causa permutationis*. Ea est resignatio ex causa permutationis, seu *tacita resignatio in favorem*, ut eam appellant Canonistae, quae fit a duobus beneficiatis in manibus Episcopi cum conditione, ut alter alterius beneficium habeat, de qua disseritur *cap.* 5. *de rer. permutat.*, ubi dicitur: *Generaliter teneas, quod commutationes praebendarum de jure*

 fieri

(a) Wan Espen. *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 10. *cap.* 2. *n.* 4. *vers. ex hoc.*

(b) De Roye *lib.* 2. *instit. jur. can. cap.* 18.

(c) *Cap.* 1. *de renunciat.*; *et cap.* 8. *de renunciat. in VI.*

fieri non possunt, praesertim pactione praemissa, quae circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper contines simoniae. Quod fuit antea decretum in *cap.* 8. *de praebend.*, quoad permutationem dignitatum.

Ab ista tamen resignationis specie longe differt beneficiorum translatio de altera Ecclesia ad alteram, quae fit auctoritate Episcopi, concurrente ipsarum Ecclesiarum necessitate, aut utilitate, de qua sermo est in *eod. cap.* 5., dum dicitur: *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere*. Quibus verbis beneficiati, translationem cum resignatione ex causa permutationis confundentes, resignare coeperunt in manibus Episcopi sua beneficia ea conditione sive tacita, sive expressa, ut ejus auctoritate ad mutuas Ecclesias transferrentur. Et cum per dictam resignationem falsa opinio irrepserit, ut ea induceret veram vacationem, ita ut posset Episcopus libere conferre beneficium resignatum, statuit *Clementina unic. de rerum permutation.* post *cap. unic. eod. tit. de rer. permutat. in VI.*, ut hujusmodi collatio irrita esset: *Ne concessione* (sunt verba Clementinae) *Juris utentibus praesertim circa spiritualia illudatur, si qua beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata aliis, quam ipsis permutare volentibus, conferantur, nullius hoc esse volumus firmitatis*. Hinc quae antea *translationes* vocabantur, hodie *permutationes* appellantur (a).

Sed

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 18.

Sed quamvis hujusmodi resignationes Ecclesia nunc toleret, improbat tamen, prout semper improbavit omnes illicitas pactiones; et ipsas translationes, quae sine Ecclesiae necessitate, aut utilitate fiant, vel sine Episcopi, ad quem omnino pertinet adprobatio (*a*), auctoritate, aut non requisito patrono, si beneficium sit de jurepatronatus, prout communiter tradunt Canonistae (*b*), et judicatum per Senatum Parisiensem refert Rebuffus (*c*); modo in ipso limine fundationis non sit expresse a fundatore prohibita permutatio, prout judicavit Rota (*d*).

Patroni vero laici non prohibentur sua jurapatronatus permutare, modo Ordinarii consensus accedat (*e*), etiamsi alterum sit gentilitium, alterum hereditarium; ac item permutatio fiat jurispatronatus gentilitii cum hereditario melioris conditionis, et familiae magis utili, et non obstet peculiaris affectio fundatoris erga juspatronatus a se fundatum. Neque descendentes de familia, qui in juspatronatus succedunt, possunt se opponere, aut eam impugnare, cum de jure, seclusa peculiari affectione testatoris erga rem restitutioni, puta fideicommisso, obnoxiam, nedum permissa, sed

 imo

(a) *Cap. 5. de rer. permutat.*

(b) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap. 2. n. 28., et 29.*

(c) *In prax. P. 3. tit. de permutat. n. 21.*

(d) In Melevitana *permutationis commendarum 26. Junii* 1709. §. *ulterius coram R. P. D. Lancetta.*

(e) Glossa *cap. nullus 17. de jurep.*, et *communiter* Interpretes *ad idem cap. Abb. ad Clementin. plures, de jurep. n. 6.*, Lambertin. *de jurep. lib. 1. part. 2. qu. 3. artic. 1. n. 1. et seq.*, Roch. de Curt. *de jurep. verb. ipse, vel is n. 26.*

imo laudabilis sit ejus permutatio cum alia meliori, ut communiter docuerunt Doctores (a) ad *l. Imperator ff. de leg. et fideicom.* 2., ubi ait Papinianus §. 3.: *Cum autem rogatus etc. de pretio rerum venditarum alias comparat, diminuisse, quae vendidit, non videtur*: et notat Dionysius Gothofredus *n.* 47.: *Juris fictione videntur ex hereditate superesse*; tum ex verisimili voluntate testatoris, ut inquit Merlinus (b), tum ex ipsius rei permutatae natura, quae per permutationem non mutatur; cum res permutata assumat naturam rei, cum qua permutatur, quia *res ita comparatae vice permutati dominii sunt*; ut notat idem Gothofredus *loc. cit.*, ideoque juspatronatus hereditarium assumit naturam jurispatronatus gentilitii (c).

Juspatronatus vero Ecclesiasticum cum jurepatronatus laico, aut cum alio beneficio libero, idest Ecclesia, inter patronum ecclesiasticum, et laicum, aut patronum ecclesiasticum, et Rectorem alterius Ecclesiae, permutari nequit, nisi ex dicta causa necessitatis, aut utilitatis legitimus assensus accedat (d); cum permutatio sit species alienationis, ut infra dicam, dum agam *de rebus Ecclesiae alienandis*.

Ceterum permutationes, sive translationes, sive resignationes ex causa permutationis, etiam factas per instrumentum publicum manu publici Notarii conscriptum, modo instrumentum ejusmodi sit, ut

(a) Card. de Luca *de fideicom. disc.* 272. *n.* 18. §. *Isto casu*.
(b) *De primogenit. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 10.
(c) Fargna *P.* 1. *can.* 7. *cas. unic. n.* 11.
(d) Fargna *loc. cit. n.* 4., *et* 5.

ut appareat fieri permutationes ob necessitatem, aut utilitatem ecclesiae, adprobandas, et admittendas ab Episcopo, licet in se periculosas, hodie citra vitium simoniae admitti posse tradunt Canonistae communiter (*a*). Hujusmodi autem permutationes dicuntur species contractus innominati, *do, ut des*. Itaque numquam permutatio perfecta, seu completa censetur, nisi alter permutantium alterius beneficium sit assecutus (*b*); cui pariter inest conditio *resolutiva*, ut Doctores loquuntur, quae efficit, ut etiam adepta possessione, et evicto beneficio ex defectu juris permutantis, alter possit ad suum beneficium redire, saltem juxta multorum Canonistarum sententiam, quam contra de Selva (*c*) tuetur praesertim Boërius (*d*), quae in praxi recepta fuit, teste Rebuffo (*e*), et exemplo rerum judicatarum a Sabaudiae Senatu comprobata, ut testatur Antonius Faber in *Cod. lib.* 1. *tit.* 2. *defin.* 53.

Jus enim, quod alteri quaeritur, ab altero non abdicatur, ut inquit Papinianus in *l. nec utilem ff. ex quibus causis majores* 25.*annis etc.*: ubi Dionysius Gothofredus *n.* 47. notat: *Primus dominus dominium non amittit, nisi alteri adquiratur*; et Julianus in *l. qui absenti ff. de adquirend., vel amittend. posses.*. Itaque in civilibus stipulationibus per contractus irritos domi-

(a) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. n.* 19. *vers. nec sane*.
(b) Wan Espen. *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 10. *cap.* 8. *n.* 14.
(c) *De benef. quaest.* 27.
(d) *In tractat. de Saturnino permutationis beneficialis jure, n.* 308. *et seq.*
(e) *In tractat. de pacific. posses, n.* 166.

minium a contrahentibus non abdicatur. Quod tamen intelligendum est accedente Judicis auctoritate, sine qua ad possessionem beneficii resignati, seu permutati resignans, seu permutans redire nequit, ut post alios docet Wan-Espenius (a): licet contrarium videatur docuisse Faber *loc. cit.* dum ait, quod resignans, seu permutans *pristinam permutati* (nempe beneficii) *possessionem, quam per resignationem amiserat, recuperare potest, nec nova indiget provisione*; nisi sub verbo, *nova provisione*, novam beneficii collationem innuerit.

Neque hujusmodi regressus comprehenditur sub decret. Tridentini *sess.* 25. *de reform. cap.* 7., quo decrevit, quod, *cum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae hereditariae successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, et Patrum decretis contraria nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur*. Ex his enim verbis satis patet a Tridentino prohibitum fuisse dumtaxat regressum ad beneficium dimissum, qui quamdam hereditariam successionem fovet, seu in qua resignans sibi expresse reservavit regressum ad beneficium resignatum, praemoriente resignatario, ut ad dicta verba Tridentini optime ad rem animadvertit Wan-Espenius (b). Et prohibitus quoque est regressus, si beneficiorum permutatio cum permutantium culpa, nempe cum fraude, facta fuerit, ita ut *renuncians habita omnino careat, et am-*

(a) *Loc. cit. cap.* 8. *n.* 23, *&* 26. *vers. dum vero regressus*. Rebuff. *loc. cit. n.* 183.

(b) *Loc. cit. cap.* 8. *n.* 25.

ambita, ut decrevit Bonifacius VIII. in *cap. fin.* §. *ult. de renunciat. in VI.* Hinc deducunt Canonistae (*a*), quod facta permutatione cum fraude, seu dolo, et in spretum patronorum, patroni ad hujusmodi beneficium causa permutationis resignatum alium possint praesentare; modo dolus sit *verus*, non *praesumtus*, ut distinguit Cardinalis de Luca (*b*).

De unionibus beneficiorum saepius mentio occurrit apud Canonistas. Cum ex unanimi eorum sententia dubitari nequeat, quin sint odiosae, quia sunt species alienationis, qua numerus minuitur et beneficiorum, et beneficiatorum (*c*), ideo sunt restringendae potius, quam ampliandae, prout eas restrinxit Tridentinum *sess.* 7. *de ref. cap.* 6., ubi decrevit, *ut omnes, quae deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas, ex legitimis, aut alias rationabilibus causis coram loci Ordinario, vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentae praesumantur*: et jampridem decrevit Honorius III. *in cap.* 33. *de praebendis*, ubi eas permisit, *si evidens necessitas, vel utilitas exigat*. Neque praeter eas fieri ob alias causas posse docet Rebuffus (*d*); neque umquam permittendas esse, *nisi ex magna, et necessaria causa, vocatisque in eam rem omnibus illis, quorum interest,* inter

(a) Ap. Gemin. *in cap. nemo deinceps, de elect. in VI.* Lother, *de re benefic. lib.* 2. *qu.* 14. *n.* 84.
(b) *De jurep. disc.* 44. *n.* 6. 7., *et* 8.
(c) Wan-Espen. *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 12. *cap.* 2. *n.* 1.
(d) *In prax. part.* 1. *tit. de union. n.* 38.

inter quos praecipue hi sunt, Episcopus, qui Ordinarius est dioeceseos, Capitulum Ecclesiae Cathedralis, et patronus beneficii, si laicus sit, inquit Antonius Faber *loc. cit. definit.* 48.

Permittit Tridentinum *sess.* 21. *de ref. cap.* 5., et *sess.* 23. *cap.* 18., et *sess.* 24. *cap.* 13., *et* 15. Episcopo cum consensu Capituli facere unionem beneficiorum simplicium Ecclesiis Parochialibus, Cathedralibus, Collegiatis insignibus, aut majoribus beneficiis, et Seminariis, seu Collegiis, pro eorum fundatione, aut congrua eorum dotatione, si tenuiores sint reditus, aut praebendae ad honestam sustentationem pro gradus, loci, et personarum qualitate non sufficientes: et *sess.* 21. *de ref. cap.* 5. permittit unionem beneficii curati alteri curato *propter eorum paupertatem, et in ceteris casibus a jure permissis*.

Et quamvis a Sacra Congregatione aliquando declaratum fuerit, teste Zypaeo (*a*), Episcopum non posse unire Seminariis beneficia, quae ad liberam suam collationem pertinent, quia *in hujusmodi alienatione nullus Superior alienantis intervenire videtur*, ut notat idem Zypaeus: contrarium tamen in praxi servari testatur Wan-Espenius (*b*), dummodo necessitati Seminarii accedat consilium quatuor deputatorum, ut ibi Concilium praescripsit, et *cum detractione fructuum mensae Episcopalis, et Capitularis, et cunctorem beneficiorum dioecesis*, cum aliter facta unio irrita sit, ut declarasse Sacram Congregationem refert Gonzalez (*c*); praeterea Semi-

nari-

(a) *In jur. nov. tit. de excess. praelat. n.* 2.
(b) *Loc. cit. cap.* 1. *n.* 22.
(c) *Ad reg.* 8. *Cancell. glossa* 5. §. 7. *n.* 75.

narium sit erectum, idest emta sit, aut saltem conducta domus, indroducti pueri, et electi Seminarii rectores, et deputati pro Consilio Episcopi ad uniones, aut taxas faciendas; licet taxa prius fieri possit, *atque prudenter quidem*, ut inquit Card. de Luca, ob causas, quas enunciat (*a*).

Vetat tamen Concilium in dicta *sess.* 24. *de ref. cap.* 13. Episcopis unionem beneficiorum Ecclesiis Cathedralibus, seu eorum mensis Episcopalibus, aut mensae Capitulari *in genere*, seu *collective*, quae jampridem vetita fuit a *Clementina* 2. *de reb. Eccles. non alienand.*; et non obscure colligitur ex eodem Tridentino *loc. cit.*, quod permittit unionem beneficiorum simplicium praebendis, non mensae Capitulari, seu singulis praebendis *in individuo*, et *discretive*, ut loquuntur doctores (*b*), et unionem Ecclesiarum Parochialium monasteriis, dignitatibus, praebendis, aut aliis beneficiis, vel hospitalibus. Etenim *hujusmodi Episcopis* (sunt verba Concilii), *qui fructuum subventione pro dioecesis suae tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates, seu canonicatus, et praebendae, nec monasteria, in quibus viget regularis observantia, vel quae Capitulis generalibus, et certis visitationibus subduntur, a Summo, Romano Pontifice provideri &c. In unionibus vero quibuslibet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, Ecclesiae Parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive prae-*

(a) *In adnot. ad Conc. Trid. disc.* 25. *n.* 15.
(b) Card. de Luca *de benef. disc.* 44. *n.* 2., Fargna *part.* 5. *can.* 9. *cas.* 1. *n.* 35.

praebendis Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur.

Hujusmodi igitur Ecclesiarum Parochialium unionem aliis beneficiis non parochialibus hic vetat Tridentinum, non autem unionem canonicatus regimini alicujus Ecclesiae Parochialis, cujus Parochus proventus ad honestam vitae sustentationem sufficientes non habeat (a). Decrevit quoque Tridentinum *sess.* 14. *de ref. cap.* 9. „ *ut beneficia unius dioecesis &c.*, *etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quacumque de causa, alterius dioecesis beneficio, aut monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio, perpetuo non uniantur*. Et *sess.* 25. *de ref. cap.* 9. vetuit unionem, seu *accessiones &c. de beneficiis liberis ad Ecclesias juripatronatus etiam laicorum subjectas*.

Ad pristinam disciplinam quod attinet, licitum erat, inquit Fevretius (b), Primatibus, et Metropolitanis *propria auctoritate* Praelaturas majores de Episcoporum suffraganeorum consilio unire, prout constat S. Remigium erexisse Sedem Episcopalem Laudunensem uniendo ei partem suae dioecesis de suorum suffraganeorum consilio. At contraria hodie viget disciplina „ qua sicut beneficia majora, praesertim Episcopatus, et quae dicuntur *consistorialia*, sunt S. Sedi reservata; ita ad eamdem S. Sedem *privative* spectat auctoritas ea uniendi (c). Et Episco-

(a) Renat. Choppin. *de sacr. polit. lib.* 2. *n.* 14. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 13.

(b) *Lib.* 2. *de abusu*, *cap.* 4. *n.* 5.

(c) Wan-Espen. *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 12. *cap.* 1. *n.* 18.

scopatuum unionem spectare ad S. Sedem sat innuitur *cap. sicut unire, de excess. praelat.*, ubi Caelestinus III. sub fine saeculi XII. respondit: *Sicut unire Episcopatus, atque potestati subjicere alienae, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur; ita Episcopi est ecclesiarum suae dioecesis unio, & subjectio earumdem*. Notat autem Wan-Espenius ad *dict. cap. in addit.* (a); quod ad asserendam hanc opinionem Summo Pontifici multum conduxit exemplum, quod legitur apud Gratianum *caus.* 16. *qu.* 1. *can.* 48., *et* 49., S. Gregorii, qui plures Episcopatus univit sua auctoritate. Itaque clare patet jus Romani Pontificis quoad unionem beneficiorum majorum, praesertim Episcopatuum; quidquid alii dixerint, et ipse Wan-Espenius *in addit*, nempe S. Gregorium dictam unionem fecisse *speciali jure Metropolitico, non jure Primatus*, seu fecisse unionem Ecclesiarum intra *regiones suburbicarias* exsistentium, cum in aliis Ecclesiis extra *regiones suburbicarias* hujusmodi jura non exercuerit.

Episcopus igitur unire potest beneficia sibi subjecta, *non obstante quacumque reservatione generali, vel speciali, aut affectione*, ut loquitur Tridentinum *dict. sess.* 24. *de ref. cap.* 15., et in eodem sensu, licet non iisdem verbis, in eadem *sess.* 24. *de ref. cap.* 16.; ac etiam devoluta ad Papam ob negligentiam Episcopi, uti post alios advertit Barbosa (b); ita ut distinctio Rebuffi (c) inter reservationem *generalem*, et *specialem* hodie non procedat,

(a) *Loc. cit. cap.* 1. *n.* 19. *vers. vix dubium*.
(b) *Lib.* 3. *jur. univer. cap.* 16. *n.* 31.
(c) *Ad reg. Cancell. de union. n.* 31.

dat, uti monet Zypaeus (*a*). Nequit tamen auctoritate ordinaria unire beneficia a sua jurisdictione exempta, et *quae ad Papam spectant*, ut ait Rebuffus (*b*), et ex communi Canonistarum doctrina, ac praxi indubitatum est (*c*); dummodo beneficia sint *vere exempta*, ut recte notat Wan-Espenius (*d*), quia plura esse possunt beneficia in Ecclesiis exemptorum, puta beneficia regularia, etiam curata, quae sive ad eorumdem exemptorum praesentationem spectant, sive ad liberam ipsius Episcopi collationem, cum in Ecclesiis exemptorum beneficia esse possint, quae tamen non sint exempta; ideoque eorum uniones servatis servandis ad Episcopum pertinent, accedente tamen Regia auctoritate, quod agitur de commutatione voluntatis. De auctoritate autem Summi Pontificis in faciendis unionibus quarumcumque Ecclesiarum etiam non exemptarum, nemo dubitat: et ita intelligitur illa unanimis Canonistarum sententia (*e*), quod, cum per unionem fiat aliqua quasi alteratio ipsorum beneficiorum, sine Superioris, scilicet Summi Pontificis, aut Episcopi auctoritate fieri nequit.

Ut autem recte Episcopus procedat in hujusmodi unionibus, oportet, ut causas, ob quas postulantur uniones, et ipsorum beneficiorum conditionem, qualitatem situs, et proventus examinet, cum certum sit facilius uniri beneficia simplicia, quae ab inutilibus, et otiosis clericis interdum posiden-

---

(a) *Consult. 6. de excess. praelat.* Wan-Espen *loc. cit. cap.* 1. *n.* 20., & 21.
(b) *Ad reg. Cancell. de union. n.* 22.
(c) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 1. *n.* 23.
(d) *Loc. cit. n.* 24.
(e) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 1. *n.* 17. ; *et* 18.

sidentur, ut supra notavi, quam beneficia curata; vel alia; quae speciale officium, et ministerium requirunt; et facilius quoque uniri Ecclesias Parochiales viciniores, quam distantes, aut canonicatus cum dignitatibus, aut Parochiis in eadem Ecclesia, quam in diversa Ecclesia exsistentes (*a*).

Et quoad qualitatem beneficiorum, oportet praesertim, ut examinet, num liberae collationis sint, aut jurispatronatus, maxime *laici*, aut *regii*, cum tunc non solum patroni audiendi sint; sed expressus eorum consensus requiratur (*b*); nempe consensus omnium patronorum, cum majoris dumtaxat partis consensus non sufficiat (*c*). Neque simplex praesumtio consensus sufficit, etiamsi enuncietur ab Episcopo, sed necesse est ut de eo constet in actis unionis faciendae (*d*). Et facta unione beneficii jurispatronatus canonicatui, posse patronum sibi reservare juspatronatus ejusdem canonicatus dixit Rota (*e*), et declaravit Sacra Congregatio Concilii (*f*). Parochiani quoque in unione Ecclesiarum Parochialium audiendi sunt, quia eorum interest habere bonum Pastorem, ut decisum per Rotam refert Garzias (*g*), ac Rector bene-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 4. 5. 8. 16. 17., *et* 21.

(b) Ant. Fab. *in Cod. lib.* 1. *tit.* 2. *definit.* 48. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 9. *et* 11.

(c) Barbosa *ad Concil. cap.* 6. *ſess.* 7. *de ref. n.* 19., *et seq.*

(d) Garz. *de benef. part.* 12. *cap.* 2. *n.* 213.

(e) *Decis.* 91. §. 1. *n.* 9. *rec.*

(f) *In Lucana unionis* 4. *Januarii* 1679.

(g) *De benefic. part.* 12. *cap.* 2. *n.* 220.

neficii, qui ejus quasi tutor merito appellatur, saltem juxta hodiernam receptam praxim, quam testatur Wan-Espenius (*a*), quidquid contra dicat *Clementina 2. de reb. Eccles. non alienand.*; licet Rectoris consensus minime requiratur, quia cum unio fiat cum clausula *sine praejudicio possessoris*, nullum per eam Rectori, seu beneficii possessori infertur praejudicium (*b*). Quae omnia exprimenda sunt in sententia Episcopi, dum unionem decernit.

Itaque dicitur: *Cum ex actis constet praecisa necessitas, aut evidens utilitas unionis, ac exiguitas redituum, ac numeri animarum Ecclesiae Parochialis A.* (si exiguus sit numerus animarum), *unde facili negotio fieri potest, ut destituatur Sacerdotibus, qui curam animarum ibi exerceant, auditis RR. Parochis, et Parochianis utriusque Parochiae* (si unio fiat duarum Parochiarum), *ac R. Promotore fiscali nostrae Curiae, qui pro dicta unione institit*, vel *adhaesit dictae unioni, de consensu R. Capituli nostrae Cathedralis Ecclesiae, auctoritate nobis tributa a sacris Canonibus, & praesertim a S. C. Tridentino, dictam Parochialem Ecclesiam A. Ecclesiae Parochiali B.* (scilicet illi Parochiali Ecclesiae, cui unitur), *citra praejudicium modo obtinentium, in perpetuum unimus, adnectimus, et incorporamus cum omnibus juribus, pertinentiis, praerogativis, honoribus, et oneribus quibuscumque, et signanter cum onere etc.* (hic describitur peculiare onus dictae Parochiali ad-

(a) *Loc. cit. cap. 3. n. 15. vers. et sane.*
(b) Zypaeus *in jur. nov. de excess. praelat. n. 1.*, Wan-Espen. *loc. cit. n. 16.* Rebuffus *ad reg. de union. gloss. 11. n. 8.*

adnexum, praesertim celebrationis missarum), *conſtituto in dicta Parochiali Eccleſia A.* (si ob ejusdem Ecclesiae utilitatem ita Episcopo videatur) *Œconomo Coadjutore a nobis, et successoribus noſtris eligendo*.

Si agatur de unione Ecclesiarum Parochialium, quae alios presbyteros participantes habeat, additur: *citra praejudicium Sacerdotum participantium modo obtinentium, poſt quorum obitum ex reditibus utriusque Eccleſiae unica maſſa conficiatur, de qua pro aequali portione participent, et onera, praeſertim miſſarum, utriusque Parochiae ferant, ac utriusque Parochiae curam coadjuvent*. Quandoque dictorum participantium numerus praefinitur, et tunc additur: *quorum numerum praefigimus, et praefixum declaramus ad etc.* (hic describitur numerus praefinitus) *citra semper praejudicium modo obtinentium, qui ſint Sacerdotes, et nativi etc.* (vel adponitur alia conditio, quae Episcopo videatur, puta ut eligantur ex magis idoneis, qui Parochum coadjuvare possint in cura animarum), *ita tamen ut Eccleſia remaneat innumerata* (prout fieri ut plurimum solet), *nempe ut auctis reditibus usque ad ducatos . . . . pro quolibet participante, ipſorum numerus quoque augeatur, deducta prius congrua Parochiali pro R. Parocho in ſumma ducatorum . . . . . libera ab omnibus oneribus, non computatis incertis, ſeu proventibus ſtolae, quae ad ipſum Parochum pertineant. Et fiant nova ſtatuta cum deſcriptione onerum Eccleſiae, ceterorumque in praeſenti ſententia contentorum*. Mutatur tamen tenor sententiae pro diversa unionis specie, aut Ecclesiarum statu, et qualitate.

Non

Non numerata, aut *innumerata*, ut vulgo dicitur, est Ecclesia, in qua *non est certus numerus praebendarum*, ut ait Innocentius III. in *cap.* 12. *de concess. praebend.*. Itaque ubi Canonici, vel beneficiati crescunt, vel decrescunt juxta incrementum, vel decrementum proventuum Ecclesiae, Ecclesia semper dicitur *innumerata*, ut doctores, praesertim recentiores, docent communiter (a): neque numerata praesumitur, quia major hodie pars Ecclesiarum est numerata, cum Ecclesiae a sua origine fuerint innumeratae, ut notat Lottherius (b). Expedit quidem bono Ecclesiae, ut numerus praefiniatur, aut temperetur *secundum meritum, vel reditum Ecclesiae*, ut inquit Carolus Magnus in *cap.* 175. *lib.* 6., et definivit Justinianus in *l. non plures, Cod. de sacros. Eccles.*, et in *novell.* 3. *cap.* 1. pro majore Ecclesia Constantinopolitana, ubi, cum certum numerum presbyterorum, diaconorum, aliorumque inferioris ordinis clericorum determinaverit, postea sanxit; *nullo autem de cetero adjiciendo in unoquoque ordine in iis, qui nunc sunt, donec ad hunc numerum mensura redigatur*. Et ex Concilio Arelatensi definitur in *cap.* 1. *de institut.*, nempe quod clerici *tot suscipiantur, quot se regere de bonis Ecclesiae absque penuria possint*: ubi glossa *verb. absque penuria, litt. C.* notat: *Semper considerandi sunt reditus Ecclesiarum, ut secundum eos clerici instituantur in eis*, et decreverunt Eugenius II., ut notat Gonzalez (c), et Gregorius VII. in

(a) Ap. Piton. *discept. eccles.* 17. *n.* 5.

(b) *De re benefic. lib.* 1. *qu.* 14. *n.* 13. Piton. *loc. cit. n.* 2.

(c) *Ad cap.* 2. *de instit. tom.* 3. *pag.* 128. *lit. A.*

in *cap. 9. de vita, et honest. clericor.*. Quibus perpensis, die 27. Septembris anni 1760. a Ferdinando IV. Rege nostro utriusque Siciliae, praevia consultatione clarissimi Marchionis Nicolai Fraggianni Delegati tunc temporis Regalis Jurisdictionis, fuit adprobata unio Parochialis Ecclesiae S. Nicolai oppidi Cusani facta ab Episcopo tunc temporis Thelesino meo patruo Ecclesiae Archipresbyterali S. Johannis Baptistae ejusdem oppidi Thelesinae dioecesis cum praefinitione numeri participantium utriusque Ecclesiae, expressa tamen clausula, *dummodo Ecclesia innumerata remaneret*.

Quod autem de unionibus beneficiorum hactenus dictum est, non de unione *temporali* accipiendum est, nam unio temporalis, seu personalis, quae fit *ad vitam*, et *in favorem* alicujus, vetita fuit a Tridentino (a); sed de unione reali, quae tripliciter fit. Vel enim ex duobus beneficiis unum efficitur, puta si unitis duabus Parochiis per bellum destructis, ex utraque fiat una: vel supprimitur beneficium, quod unitur, ita ut potius extinctio, et suppressio beneficii, quam unio dici mereatur, puta si canonicatus supprimatur, et erigatur in dignitatem: vel per adnexationem, quam Canonistae *accessoriam* vocant, seu *subjectivam*, qua beneficium unitum amittit nomen beneficii, sed manet in suo statu tam quoad onera, quam quoad jura, et proventus (b).

In prima specie unionis *consuetudines, et privilegia, quae meliora, et humaniora sunt in altero eorum, debent uniri, et retineri in unitate*, ut ait Fa-

(a) *Sess. 7. de ref. cap. 4.*
(b) Wan Espen. *loc. cit. cap. 1. num. 3. ad 13.*

gnanus (a); sive, ut loquitur Rebuffus (b), *privilegia data uni, competunt et alteri, et quando sunt plura, honestiora, et favorabiliora servabuntur*. In secunda specie cum beneficio extincto, et suppresso omnis titulus extinguitur, et fructus incorporantur novo beneficio, seu novae dignitati erectae, *quia beneficium unitum convertitur in naturam ejus rei, cui fit unio, et accrescit*, ut inquit Gonzalez (c). In tertia specie beneficium remanet accessorium, seu Ecclesia unita inferior, et beneficium, cui fuit unitum, principale, seu Ecclesia, cui facta est unio, remanet superior: nisi beneficia sint unita *atque principaliter*, seu nisi unio facta fuerit sine alteratione, et mutatione status antiqui, ita ut utrumque beneficium in suo statu maneat; quia tunc revera sunt duo distincta beneficia, prout erant ante unionem, licet Rector, sive titularis post unionem sit unus. Itaque si duo Episcopatus suffraganei duorum Metropolitanorum fuerint *aeque principaliter* uniti, post unionem duobus pariter Metropolitanis, prout antea erant, subesse debent (d).

Cum antea dixerim uniones esse odiosas, ideo facilius dissolvuntur factae, nec admittuntur nondum factae, cessante causa, propter quam fuerunt factae. Hinc ait Rebuffus (e) post alios Canonistas: *Quan-*

(a) *Ad cap. novit; ne sede vacante etc. n.* 3.

(b) *In prax. P.* 1. *tit. de unionibus n.* 11.

(c) *Ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 7. *n.* 2. *et* 3., Fagna *P.* 1. *can.* 4. *cas.* 11. *n.* 20. Rota *decis.* 33. *n.* 5. *P.* 9. *rec.*, Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 1. *n.* 9.

(d) Fagnan. *ad cit. cap. novit.* Wan-Espen *loc. cit. cap.* 1. *n.* 12. *et* 13. *vers. hinc infert.*

(e) *In prax. tit. de unionis revocatione n.* 1., *et* 2.

Quando est facta ob certam causam, belli forte, destructionis, paupertatis, vel aliam finalem, tunc cessante ista causa, cessabit unio: vel quando fuit facta ob bellum, et deficiente populo, postea reverso populo cessabit: vel superveniente alia causa, quae causae unionis praevaleat, seu ob quam melius sit illam revocare, quam illam tolerare. Itaque si unio facta sit ex causa necessitatis, aut utilitatis Ecclesiae, ob eamdem causam necessitatis, et utilitatis potest dissolvi, auctoritate tamen Episcopi, cum ad eamdem auctoritatem, ad quam pertinet unire, pertineat dissolvere uniones sive ab eodem Episcopo, sive a suo antecessore factas, ut nemo dubitat ex Canonistis, sine praejudicio possessoris, et vocatis, quorum interest, ac servatis servandis, prout de unione dictum est (*a*). Gesta vero per possessorem beneficiorum unitorum tempore unionis, puta alienationes rite factae, et similes actus, immo jura sive collatorum, sive patronorum ante unionem rata manent etiam post unionem, cum per consensum praestitum unioni suis juribus *absolute* renunciasse, nisi *expresse* renunciaverint, non videantur (*b*).

(a) Rebuff. *loc. cit. n.* 6., *et* 28.. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 4. 7., *et* 11.

(b) Rebuff. *loc. cit. n.* 3. 28. *et* 40.. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 10. *et* 11.

CAPUT XII.

De possessionis capiendae forma, et utrum ob eam aliquid exigere liceat.

De forma capiendae possessionis beneficiorum ita decrevit Tridentinum *sess.* 24. *de ref. cap.* 12.: *Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus teneantur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali orthodoxae fidei publicam facere professionem ect.: provisi autem de canonicatibus, et dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur; alioquin praedicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.*

De Canonicis Collegiatarum Concilium non loquitur, ideo eam facere non tenentur, prout declarasse Sacram Congregationem refert Novarius (a). Si vero Canonici Ecclesiarum Collegiatarum curam saltem habitualem habuerint, ego in praxi semper recepi fidei professionem ab ipsis in pleno Capitulo in actu possessionis. Omnes vero Canonici Ecclesiarum sive Cathedralium, sive Collegiatarum ante adeptam possessionem jurare debent, quod statuta Capituli observabunt, ejusque jura

(a) Ap. Ricc. *in collect. decis.* 2867. *P.* 7.. Antonell. *lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 2.

Digitized by Google

jura tuebuntur (*a*). At possesionem sive per se, sive per Procuratorem specialiter deputandum capere possunt, ac etiam fidei professionem facere, ut non pauci doctores docent (*b*), licet alii eam fieri posse per Procuratorem, etiam speciale mandatum habentem, absolute negent (*c*).

Professio autem fidei fieri potest coram Vicario, seu Officiali Episcopi, etiam Canonico ejusdem Ecclesiae, ac etiam Episcopo non impedito, quia illa Concilii verba, *vel eo impedito*, sonant in monitionem, ut loquuntur doctores (*d*).

In amissione vero fructuum, eorumque restitutione, si facta non fuerit infra duos menses, non comprehendi distributiones quotidianas, nisi fructus canonicatus in distributionibus quotidianis dumtaxat consisterent, animadvertunt doctores, et ita quoque Sacram Congregationem declarasse referunt (*e*); quia distributiones quotidianae dantur pro servitio personali. Et cum Canonicus neque unquam resederit, neque fidei professionem fecerit, non modo fructus, etiam pro dictis duobus mensibus perceptos, verum etiam distributiones quotidianas lucrari non posse decrevit Sacra Congregatio (*f*). Idecque tam fructus, quam di-

(a) Wan-Espen. *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 9. *cap.* 2. *n.* 16., *et* 22.
(b) Ap. Antonell. *lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 16.
(c) Ap. Antonell. *loc. cit.*
(d) Ap. Antonell. *loc. cit. n.* 3.
(e) Ap. Antonell. *loc. cit. n.* 11.
(f) Ap. Coccin. *decis.* 256. *n.* 1.. Barbos. *de offic., et potest. Episcop. P.* 3. *alleg.* 61. *n.* 23., *et* 24.. Antonell. *loc. cit. n.* 7., *et* 14.

distributiones quotidianae converti debent in fabricam Ecclesiae, aut in usus pauperum, prout de usu fructuum Canonicorum non residentium praescripsit Tridentinum *sess.* 23. *de ref. cap.* 1. *vers. si quis autem*; nisi fructus sint in mensa Capitulari, qui ob omissam ab aliquo Canonico sive fidei professionem, sive residentiam ad Capitulum spectant (*a*).

Eo fere modo, quo Vassalli jurant Principi fidelitatem ante feudi investituram, olim obtinebat, ut provisi de beneficiis, praesertim curatis, jurarent suis Episcopis obedientiam, ac etiam *homagium*, quod circa exhibitionem servitiorum temporalium, et fidelitatem servandam in juribus tuendis, et vità quoque temporali Episcopi versabatur (*b*). Quod deinde fuit reprobatum in *cap. fin. de reg. jur.*, *ut indignum, et a Romanae Ecclesiae consuetudine alienum*, ut loquitur Lucius III. in *dict. cap. fin.*

Et ad instar *relevii*, quod solvitur a novo Barone pro feudi investitura, solebant Episcopi a beneficiatis, et Capitula a provisis de suis canonicatibus jura aliqua exigere, dum ad possessionem, seu *installationem* admittebantur. Quod uti pravam cupiditatem redolens, tum a Conciliis, tum a Pontificibus saepius legitur reprobatum, ut patet ex *cap.* 9. *de simonia*, ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III., et ex *cap.* 36. *eod. tit.*, ubi Innocentius III. rescripsit Archiepiscopo Cantuariensi, *ut pravam consuetudinem de sua provincia*

(a) Barbos. *loc. cit. n.* 31. Antonell. *loc. cit. n.* 14.
(b) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 17., *et* 27.

cia studeat abolere, per quam pro Ecclesiarum investitura Archidiaconi marcham argenti, minores vero decani vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniae quantitatem. Denique Tridentinum *sess.* 24. *de ref. cap.* 14. reprobavit hujusmodi jurium exactionem, quae solvebantur a novis Canonicis, et in *usus pios* non convertebantur, sed ad proprium Capituli commodum.

Nota dicta Concilii verba, *in usus pios*, ne per Tridentinum in *dict. cap.* reprobatam credas consuetudinem nonnullarum Ecclesiarum exigendi *annatas*, vel *dimidias annatàs*, ut vulgo dicuntur, seu fructus, et proventus beneficiorum unius anni, prout Gallos credidisse scribit Historicus Concilii Tridentini (*a*), et sentire quoque videtur Wan-Espenius *in addit.* (*b*), dum ait: *Per decretum Concilii Tridentini improbatur consuetudo quidquam exigendi, aut ex fructibus deducendi in collatione beneficiorum*. Nam Tridentinum loquitur de exactione ad proprium commodum, seu de ea exactione, quae *ad pios usus* non convertatur, ut expresse dicitur in *dict. cap.*, cui consonant alia decreta Conciliorum, quae vide apud Wan-Espenium (*c*), et praesertim Synodi Audomatensis *an.* 1585. *tit.* 12. *cap.* 10., ubi Synodus expresse cavit, *ut nihil exigatur, quod in piòs usus non convertatur, non pecunia, non prandium, non aliud quidvis, quod in ceterorum Canonicorum commodum cedat, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, non obstante*.

(a) *Pag.* 689. *editionis latinae* 1658.
(b) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 34.
(c) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 30. *et seq.*

Digitized by Google

Illa igitur consuetudo quoad exactionem *annatarum* reprobatur a Conciliis, et Pontificibus, quae cedit commodo exigentium, non quae in pios usus convertitur; quod jampridem a saeculo XII. originem habuisse ecclesiastica monumenta testantur, quae refert P. Natalis Alexander in Historia ecclesiastica seculi XV., et XVI. *tom.* 20. *art.* 1., et adprobatum praesertim a Bonifacio VIII. legitur in *cap. si propter*, *de rescriptis*, *in* VI., dictasque annatas exigere uti pium, et justum ab omni labe simoniae vindicat idem P. Natalis Alexander *loc. cit. artic. 6.*, allatis antea in articulis praecedentibus, quae contra dictam exactionem scripta, aut decreta fuerunt. Ideo usus Hispaniae eam recepit, licet illorum Episcoporum proventus pinguiores sint; ac usus etiam Ecclesiae Gallicanae. Et in hoc Regno uti *laudabilem* adprobavit, et pluries ratam habuit Ferdinandus IV. Rex noster utriusque Siciliae, cum eadem conditione, ut dictae dimidiae annatae in usus pios converterentur, detractis tamen prius oneribus beneficiorum, atque exceptis beneficiis jurispatronatus laici; ut pro Ecclesia Hydruntina die 11. Mai an. 1771., et pro Ecclesia Thelesina die 22. Junii ejusdem anni.

CA-

CAPUT XIII.

De juribus decimarum, oblationum, et funerum ad beneficia curata, seu ad Ecclesias Parochiales spectantibus

Inter proventus beneficiorum parochialium jura decimarum , oblationum , et funerum recensentur , quae in portionem quoque congruam imputantur : ideo merito de iis in hoc eodem libro , in quo de beneficiis scripsi , agere existimavi . Dum dico decimas , eas sub hoc titulo decimas complecti volo , quae ordinarie Parocho debentur ; sive Parochia ad liberam Episcopi collationem pertineat , sive jurispatronatus sit . Super quibus si controversia oriatur inter Parochum, et Parochianos, de jure ad Judicem ecclesiasticum pertineret : consuetudine tamen totius Europae factum est , ut ad Judicem laicum , seu ad Magistratum Regium *privative*, ut forenses loquuntur, pertineat , ita ut Judici ecclesiastico ad censuras contra renitentes , et contumaces , aut earum exactiones impedientes procedere non liceat ob contrariam , praesertim in hoc Regno , politiam .

Decimae de jure (*a*) debentur super fructibus non modo praediorum , verum etiam animalium, negotiationis , vel alterius lucri . Hinc orta est distinctio inter decimas *praediales* , quae ex fructibus praediorum solvuntur sive urbanorum ,

sive

(a) *Cap.* 5., *et* 22. *de decimis*.

ſive rusticorum ; ideo inter onera *realia* eas recenset Gibert in *Corpor. juris canon. Tom.* 3. *sect.* 3. *tit.* 12. *de beneficiis, pag.* 133. ; *personales* , quae proveniunt ex alterius opera, seu industria, puta negotiatione , venatione , piscatione , aut alio opificio : et *mixtas*, quae ex praediis simul , et industria praestantur , puta ex fructibus animalium , foetu , lana , lacte , ovis , aliisque hujus generis , cum ad fructus animalium non solum industria , sed etiam praedia , a quibus alimenta recipiunt, concurrant. Verumtamen tam circa qualitatem , quam circa quantitatem decimarum peculiaris consuetudo servanda est, adeo ut, quae decimae, quibus ex rebus , et in qua quantitate praestandae sint , judicium ad consuetudinem remittatur , ut ex *cap.* 20. , *et* 32. *de decimis* , aliisque decretalibus communiter concludunt Canonistae (*a*) . Licet enim de jure decimae tam praediales, quam personales , et mixtae debeantur , *tamen jura determinant* , *quod in hoc ſervetur consuetudo diu obtenta* , ut tradit S. Thomas (*b*) .

Ordinarie autem decimae personales (inquit idem S. Thomas) *debentur Ecclesiae , in cujus Parochia homo habitat* (quia Parochiani ibi recipiunt Sacramenta) ; *decimae vero praediales rationabiliter magis videntur pertinere ad Ecclesiam , in cujus territorio praedia sita sunt*. Et ita decrevit Bonifacius VIII, in

(a) Ap. Wan-Espen. *Tom.* 3, *P.* 2. *sect.* 4. *tit.* 2, *cap.* 2. *n.* 11. 12. 36. , *et* 37.

(b) 2. 2. *qu.* 87, *art.* 3. *n.* 3. *vers. ad secundum dicendum*,

in *cap. 2. de restit. spoliat., in VI.*, et communiter docent Canonistae, quos late refert, eorumque sententiam Rotae Romanae decisionibus comprobat Van-Espenius (*a*); ita ut, si praedia quis in aliena Parochia habeat, decimae praediales solvantur Parocho illius Parochiae, ubi praedia sita sunt; personales Parocho loci, ubi recipit Sacramenta juxta distinctionem Glossographi in *cap.* 18. *de decimis, verb. diversae, litt. D.* communiter receptam, et consuetudine probatam, quam testatur idem Van-Espenius (*b*). Denique decimae mixtae ad Parochum pertinent loci, ubi animalia pascuntur, cum ipsae praediales potius, quam personales sint; nempe ubi *pascuntur continuo*, ut inquit glossa ad *cap.* 20. *de decimis, verb. personales, litt. E.*. Itaque si in diversis Parochiis pascantur, decimae solvuntur omnibus Parochis illarum Parochiarum, ubi pascuntur, inter quos proinde dividendae sunt, ut docet Rebuffus (*c*), servata tamen consuetudine, ut notat ipse Rebuffus (*d*), qui insuper testatur quod *communius observatur*, ut decimae solvantur Parocho illius Parochiae, ubi animalia pascuntur *frequentius*.

Hinc patet, quod jus percipiendi decimas est onus fructuum, non fundorum; ideoque deficientibus fructibus sive culpa, sive sine culpa Parochianorum, puta ob negligentiam in cultura, aut mutationem culturae in alteram speciem, ex qua de-

(a) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 9., *et* 12.
(b) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 12., *et* 13.
(c) *De decimis qu.* 6.. Wan Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 14. *ad* 18.
(d) *Loc. cit. n.* 17.. Wan-Espen. *loc. cit.*

decimae non debeantur, jus quoque desinit exigendi decimas (*a*). Quomodo vero circa mutationem culturae hoc intelligendum sit, vide Cardinalem de Luca, *de decimis, disc.* 14., *et* 15., ubi fusius, allatis doctorum opinionibus, et Sacrae Rotae decisionibus, hanc materiam pertractat.

At jus eas percipiendi ita insitum est Parochiae, ubi sita sunt praedia, ut ea amitti, aut alteri acquiri numquam possint, nisi per praescriptionem legitimam cum justo titulo, nempe *quadraginta annorum*, ut explicat Glossa ad *cap.* 1. *de praescrip. in VI. verb. legitime*, aut immemorabilem, ut decrevit Bonifacius VIII. in *dict. cap.* 1. *de praescript. in VI.*; cujus immemorabilis praescriptionis jure vidi in nonnullis locis exigi decimas praediales a Parocho alterius Parochiae, ubi praedia sita non sunt, quod passim exemplo quoque rerum judicatarum comprobatur. Vide Van-Espenium *tom.* 3. *part.* 2. *sect.* 4. *tit.* 2, *cap.* 3, *n.* 23., et Cardinalem de Luca, *de decimis, disc.* 17, *n.* 8.. *Aut vero* (subjicit idem Cardinalis de Luca *loc. cit.*) *agitur de inducendo consuetudinem super alteratione quotae, vel super reductione ad certam quantitatem, vel ad certam speciem fructuum tantum, et tunc iste rigor non requiritur, sed simplex quadragenaria sufficit, dum hoc secundo casu non viget illa positiva juris resistentia, quae viget in primo*. Quaenam autem praescriptio dicatur immemorabilis, et quomodo probetur dicam in Parte II. *cap.* 2. *de modis quibus juspatronatus acquiritur*.

Episcopo autem nullam ex decimis competere por-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 9. *n.* 19. *et* 20., et Zipaeus *in jur. nov. tit. de decimis n.* 5.

portionem docet Van-Espenius (*a*) ex opinione Glossae ad *cap.* 13. *de decimis; nisi forsan ex particulari conventione, vel titulo portio aliqua ipsi esset reservata*, ut subjicit idem Van-Espenius. Verum nihil magis exploratum est in jure, quam ut Episcopo portio aliqua debeatur, quae *Quarta* vulgo nuncupatur, ut patet praesertim ex illis verbis *cap.* 13. *de decimis, Tua parte retenta; et ex cap.* 16. *de off. Jud. ordin.*, ubi Honorius III. Episcopo Assisinatium respondit: *Decrevimus, ut in Ecclesiis, seu Capellis tuae dioecesis etc. habeas canonicam obedientiam . . . . . Synodatici, seu Cathedratici nomine duos solidos, quartam decimationum, et mortuariorum, visitationem quoque annuam, ita quod, cum ad eas visitandas accesseris, non amplius procurationis nomine requiras ab eis, nisi quantum pensatis facultatibus earumdem, moderate poterunt exhibere, ne plus ceteris Capellis ejusdem dioecesis in procurationibus onerentur*. Nota illa verba, *quartam decimationum, et mortuariorum*, quibus Pontifex distinguit alteram portionem ab altera, nempe portionem seu quartam decimarum, a portione seu quarta funerum, quae a jure dicitur *canonica portio*, ut infra dicam loquens de juribus funeralibus; et utramque inter *utilia jura Episcopalia* recenset Franciscus Florens *ad dict. cap.* 16. *de offic. Jud. ord.* (*b*).

Igitur Episcopi post divisionem Parochiarum exigunt quartam partem illarum decimarum, quas ante Parochiarum divisionem integras exigebant, ut animadvertit Gonzalez ad *dict. cap.* 16. *de officio*

(a) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 10.
(b) *Tom.* 2. *ad lib.* 1. *decretal. tit.* 31. *cap.* 16.

Digitized by Google

ficio Jud. ord. (*a*): licet possit esse quarta, vel tertia juxta consuetudinem Ecclesiarum, ut ex Concilio Aurelianensi I. *can.* 15. et Toletano IV. *can.* 33. *et* Tolet. IX. *can.* 6. notat idem Gonzalez (*b*): sicut decimarum nomine non decima pars fructuum, nempe decima Mosaica, seu legis veteris, de qua mentio fit in *cap.* 1. *de decim.*, accipitur; sed quidquid decimarum titulo, licet minus decima parte, exigitur, quod semper *decima* appellatur, cum in quantitate, non secus ac in qualitate servanda sit consuetudo, ut antea quoque notavi (*c*). Ideoque Judex (inquit Antonius Faber in *Cod. lib.* 1. *tit.* 2. *definit.* 63. *n.* 9. *et* 10. *in fin.*) *sicuti de sola possessione potest cognoscere, ita quotam illam demum praescribere potest, quam praestari solitam videt ex concludentibus, et indubitatis probationibus.*

Ceterum *nec controvertitur, nec vero potest in dubium revocari, quin quarta decimarum Episcopo debeatur, quia hoc expresse determinant Canones*, ut ait de Marinis (*d*), qui adfert Rotae Romanae decisionem 402. *n.* 1. *P.* 2. *rec.*, et deinde subjicit loquens de eadem decisione: *ubi firmatur haec opinio ex communi Canonistarum assensu*. Et in hoc Regno Neapolitano fuit adprobata, ac expresse confirmata Regia generali sanctione Ferdinandi IV. Regis nostri die 19. Septembris anni 1772. Plures quoque Rotae decisiones adfert Cardinalis de Luca

---

(a) *Tom.* 1. *tit.* 31. *cap.* 16. *n.* 4.

(b) *Loc. cit.*

(c) Zipaeus *consult.* 1. *de decim.*. Van-Espen. *loc. cit. cap.* 8. *n.* 9. *ad* 13. Card. de Luca *de decim. disc.* 27. *n.* 6. *et* 7.

(d) *Resol. jur. Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 81. *n.* 22.

ca (a), *in quibus firmatur* (inquit ipse) *quod ea participatio debita sit Episcopo ex dispositione Juris, reprobata opinione volentium, ut id ex consuetudine proveniat.*

Hanc decimarum portionem, seu quartam *exigere possunt a Parocho, si decimae sint solutae, a Parochianis, si adhuc eas non solverint*, ut tradit idem Gonzalez ad *dict. cap.* 13. *de decimis* (b), et pluries fuisse a Rota Romana decisum refert idem de Marinis (c), vel si ob aliam caussam Parochi decimas non exigant, quia *cum Parochiani, seu praediorum domini in genere ad hoc onus teneantur*, ut inquit Cardinalis de Luca (e), *Episcopi habent juris assistentiam, contra ipsos Parochianos*. Imo sine ista distinctione refert idem Cardinalis de Luca (f) plerasque Rotae decisiones, *in quibus firmatur* (inquit ipse) *verius esse, ut actio directe contra Parochianos non detur; bene tamen intentare possit Judicis officium contra eosdem, nempe tamquam debitores debitoris*: prout quoque declaravit Rex noster Ferdinandus IV. die prima Septembris anni 1777. pro Episcopo Cariatensi.

Parocho quoque debentur oblationes, seu spontaneae largitiones, quae fieri solent a fidelibus post Sacramentorum, praesertim Baptismi, administrationem, in purificatione mulierum, in visita-

(a) *De decim. disc.* 17. *n.* 5. *in fine*.
(b) *Resol. jur. lib.* 1. *cap.* 81. *n.* 22.
(c) *Tom.* 3. *tit.* 30. *cap.* 13. *n.* 2.
(d) *Loc. cit. dict. cap.* 81. *n.* 20.
(e) *De decimis disc.* 8. *n.* 9.
(f) *De decimis disc.* 17. *n.* 5.

tatione alicujus Ecclesiae, aut sacrae imaginis, aut in aliis pastoralibus functionibus, sive Parochiae oblationes fiant, sive aliis Ecclesiis intra ejusdem Parochiae fines exsistentibus, ut Jus canonicum statuit, et communiter docuere Canonistae omnes (*a*), et Interpretes ad *cap.* 9. *de iis, quae fiunt a Praelato sine consens. Capitul.*, ubi definitur non posse Episcopum, etiam *consentiente patrono*, obventiones Parochiales *viris religiosis conferre*, nisi consuetudine, privilegio, vel alio titulo aliud obtineat. Considerari vero debet praesertim offerentium voluntas, cui semper deferendum est etiam contra regulam communem. *Ubi expresse, vel etiam adminiculative, et conjecturaliter constet de voluntate facientium oblationes, et eleemosynas, ut ipsi Ecclesiae, seu certis usibus applicari debeant, non autem ut ipse Rector impinguetur, atque in privatos usus, privatamque utilitatem convertat, cum tunc absque dubio ista voluntas servari debeat, eaque cuicumque juris dispositioni praevaleat*, optime ad rem animadvertit Cardinalis de Luca (*b*).

Hanc *conjecturalem* voluntatem in dubio desumit ipse Cardinalis de Luca (*c*) ex duplici ratione, altera nempe, quae in majore, aut minore oblationum quantitate, aut qualitate consistit; altera, quae consistit in imagine, cui oblationes fiunt. Quoad quantitatem, aut qualitatem oblationum animadvertit, ut oblationes magnae sive in quanti-

ti-

(a) Ap. Wan-Espen *loc. cit. cap.* 10. *n.* 7. *ad* 10.. Fagnan. *ad dict. cap.* 9. *n.* 24.. Barbosa *de offic., et potest. Paroch. cap.* 24. *n.* 22.

(b) *De decimis disc.* 19. *n.* 8. *in fin.*, *et* 9.

(c) *Loc. cit. n.* 10., *et seq.*

titate, sive in qualitate, *verisimilem praeseferrent voluntatem devotorum, ut pro fabrica, vel ornatu, seu dote illius Capellae, vel Ecclesiae deservirent, ut regulariter pro communi usu verius dicendum videtur: atque in praxi,* (subjicit ipse) *magis receptum est, quoniam pro majori parte illae Ecclesiae, quae hodie habentur, etiam sumptuosae structurae, et cum pingui dote, ista initia habuerunt.*

Quoad imaginem vero, cui oblationes fiunt, distinguit imaginem antiquam ab imagine *de novo reperta, seu etiam antiqua, ad quam ob aliquas contingentias, sive miracula vera, vel opinata, populus cum eleemosynis, et oblationibus confluat*, ut inquit ipse. Priores oblationes Parocho deberi idem docet, non autem posteriores. *Omnino etiam probabile est* (subjicit ipse), *quod populus, pro gratiis acceptis, vel speratis ad illam imaginem recurrendo cum eleemosynis, et oblationibus, id agat animo donandi ipsi imagini, et frequentius, ut sumptuosa Ecclesia construatur, ac dotetur, et ornetur, non autem ad donandum Parocho, vel Episcopo, seu alteri Praelato ad privatam utilitatem.*

Et ita in *Praenestina oblationum* pro Petro Angelo Matthiolo Parocho Palliani, loci ejusdem dioecesis, qui ab Ordinario coactus fuit reddere rationem hujusmodi oblationum, *pro veritate* respondit. Cujus integrum responsum cum omnibus suis distinctionibus, imo et verbis, refert hic exscripsisse pro regula Curiarum ecclesiasticarum in hujusmodi causis, quae non raro in foro ecclesiastico audiuntur contra Parochos, cum ad ipsos, si non usus oblationum, saltem administratio pertineat (a), *superintendentiae* tamen, ut ver-

(a) Card. de Luc. *loc. cit. n.* 12.

verbis utar ipsius Cardinalis de Luca, Episcopi subjecta, qui *prohibendus non est ect., sive ex dispositione juris communis, cum dicatur Parochus Parochorum, sive ex dispositione S. Conc. Trid. sess. 22. de reform. cap. 8., et 9., ut rationes administrationis debeant ei reddi, atque superintendentiam quamdam habeat*, ut ipse ait (*a*); praesertim si Ecclesia Parochialis suos peculiares administratores non habeat, etiam laicos, ut usus obtinet in aliquibus Ecclesiis Parochialibus. *Quin et consuetudo fere universalis habet* (animadvertit Wan-Espenius (*b*)) *ut oblationes, quae vel colliguntur extra Altare, vel fiunt in truncis per Ecclesiam, vel Sacella, vel ad certum Altare, aut imaginem dispositis, cedant vel fabricae, vel ad ornatum Altaris, aut imaginis, aliumve usum, in quem ex conditione colligentium, vel inscriptione trunco imposita, vel ejus locali dispositione sciuntur colligi, et peti*.

Hinc usu receptum est, ut oblationes, quae fiunt in mensis Ecclesiarum ad usum certum, et determinatum expositis, aut in Ecclesia, vel Sacello, quod dictos peculiares administratores habet pro cura fabricae, ornamentorum, aut divinorum officiorum, Parochorum commodo non cedant, ut nec eae oblationes, quas fieri apparet juxta intentionem eorum, qui eas colligunt; quidquid namque offertur, offerri praesumitur juxta colligentium intentionem (*c*). Hinc quoque manat, quod licet oblationes fieri solitae in exequiis,

(a) *Loc. cit. n.* 12.
(b) *Loc. cit. cap.* 10. *n.* 20.
(c) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 10. *n.* 16. *ad* 20.

Digitized by Google

quiis, et anniversariis, ad Parochum de jure pertineant: sin vero contraria consuetudo obtineat, ut cedant celebranti, aut Presbyteris Ecclesiae, vel fabricae, vel alteri usui pio, consuetudo omnino servanda sit (*a*).

Hujusmodi autem oblationes spontaneas largitiones appellavi, quia spontaneae omnino esse debent oblationes, praesertim in administratione Sacramentorum, in qua quaecumque pactio, aut stipulatio illicita est, ut pluribus probat Wan-Espenius (*b*).

Illae quidem oblationes in portionem congruam imputantur, quae certae sunt: incertae enim, et *accidentales*, ut dicuntur, et ex mera liberalitate provenientes, puta oblationes fieri solitae in administratione Sacramentorum, in purificatione mulierum, vel quotidiana stipendia missarum, in congruam non imputantur, ut communiter docent Canonistae (*c*); nisi sint accidentales non mere spontaneae, sive taxatae, ut sunt jura funeralia, sive non taxatae, sed quae facta computatione trium, vel quatuor annorum, ad certam summam redigi possunt (*d*). *Sed non ita exacte computabuntur*, *sicut certae* (ut ait Rebuffus (*e*)), *ne alias Parochus a necessitate quodammodo coactus jubeatur illas etiam cum nimio rigore a suis Parochianis, non sine offensione, et nota avaritiae,*

 exi-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 10. *n.* 21.
(b) *Loc. cit. cap.* 10. *n.* 6.
(c) Ap. Wan-Espen. *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 4. *tit.* 3. *cap.* 6. *n.* 15. 18. *et* 30.
(d) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 6. *n.* 34. *ad* 36.
(e) *In tractatu, de portione congrua n.* 87.

exigere, ut recte monet Wan-Espenius (*a*).

Conclusio igitur, ut oblationes incertae in congruam non imputentur, *intelligenda est* (optime ad rem nostram animadvertit laudatus Cardinalis de Luca (*b*)) *de illis emolumentis mere incertis, et voluntariis, quae pendent a sola populi devotione, et quae possunt nulla esse; secus autem in emolumentis Parochialibus solvendis occasione Sacramentorum, vel sepulturae, cum non possit populus non mori, non nasci, et non baptizari, atque non contrahere matrimonia, ut ita distinguendo habetur praesertim in Lucana Prioratus sub tit. de jurep. disc.* 10., *et sub tit. de benefic. disc.* 90., *ubi generaliter de valore beneficiorum; in plerisque enim Parochiis nullum alium reditum habentibus ista sola emolumenta ob populi numerositatem adeo magnum reditum constituunt, ut sufficiant etiam ad sustentationem Collegii, cujus beneficia adeo pinguia reputantur, ut etiam graventur pensionibus, ut praxis docet in Ecclesia Parochiali S. Johannis Majoris civitatis Neapolis*. Ex quibus verbis satis patet Cardinalem de Luca inter oblationes in portionem congruam imputandas eas recensuisse, quae dantur in administratione Sacramentorum, quaeque revera in congruam imputari non debent, cum non sint certae, uti sunt oblationes funerum.

Cardinalis de Luca sententiam quoad oblationes acci-

(a) *Loc. cit. cap. 6. n.* 39.

(b) *De Paroch. disc.* 18. *n.* 12.. Fargna *P.* 4. *can.* 1. *cap.* 2. *n.* 3. *ad* 6.. Piton. *discept. eccles.* 46. *n.* 10. *et* 11.

accidentales, sed certas, tuetur Pitonus (*a*), licet *videatur contra communem*, ut ipse subjicit (*b*). Num vero communis opinio, an potius error dici debeat, ex supradictis quisque facile judicabit, cum exploratum principium sit, ut oblationes certae imputentur in congruam. Neque in congruam imputantur beneficia, pensiones, aliique proventus, qui ad Parochos non pertinent *ratione Ecclesiae Parochialis*, ut inquit idem Wan-Espenius (*c*), sed illa beneficia tantum, illique proventus, qui sive per eorum unionem factam Ecclesiae Parochiali ab Episcopo juxta decretum Tridentini *sess.* 24. *de ref. cap.* 13., sive per concessionem factam sine unione ad titulum congruae, ad ipsam Ecclesiam Parochialem pertinent (*d*).

Quaenam autem dicatur portio congrua, cum in jure generatim determinata non sit, communiter docent Interpretes ad *cap.* 12. *de praebend.*, et Canonistae omnes (*e*), ad Judicis prudentis arbitrium remitti juxta circumstantias non solum personarum, nempe Parochorum, et Parochianorum, ita ut congrua sit major, vel minor pro majore, aut minore amplitudine Parochiarum, sed etiam temporum, et locorum. In illis enim temporibus, aut locis, *in quibus est frumenti, et vini caritas etc., magis augeri debet portio*, ut docet Rebuffus relatus

(a) *Discept. eccles.* 46. *n.* 10. *et* 11.
(b) *Loc. cit. n.* 11.
(c) *Loc. cit. cap.* 6. *n.* 5. 10. *et* 11.
(d) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 6. *n.* 9. *ad* 11.
(e) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 6. *n.* 7. *ad* 17., Fagnan, *in cap. extirpandae, de praebend. et dignitat. n.* 17.. Fargna *P.* 4. *can.* 1. *cap.* 2. *n.* 13.

tus a Wan-Espenio, cui ipse Wan-Espenius consentit (*a*). Necessitatis pariter, ac onerum Parochiarum habenda est ratio, ut congrua portio *pro Rectoris, et Parochiae necessitate decenter sufficiat*, ut decrevit Tridentinum in *dict. sess.* 24. *de ref. cap.* 13., seu ex qua Rectores Ecclesiarum Parochialium *competentem sustentationem habeant, et Episcopalia jura solvere valeant, aliaque onera debita supportare*, ut decrevit Alexander IV. in *cap.* 2. §. 3. *de decim. in VI.*. Itaque crescentibus oneribus, augmentum quoque portionis congruae legitime petere possunt Parochi, ut docet Wan-Espenius (*b*); prout, aucto mercium pretio, portionem quoque congruam auctam fuisse in Gallia ex constitutione Caroli IX. Regis Galliae refert Franciscus Pinsonius post Broudaeum ad Lovëtium (*c*).

Et quod de congrua Parochiali, seu de iis, quae in congruam Parochialem imputantur, dictum est, de quavis congrua beneficiali, mutatis mutandis, pariter dicendum est; adeo ut, deducta congrua Parochiali, reliquum Ecclesiae, et pauperum beneficio cedere debeat. Illud dumtaxat notandum est, sententiam hodie fere communem illorum, qui opinantur (*d*) distributiones quotidianas non esse in portionem congruam imputandas, si fiant *ratione interessentiae, ac servitii . . . . , quoniam tunc dicuntur verae distributiones quotidianae, quae sin-*

(a) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 7., Fargna *P.*4. *can.*1. *cas.*2. *n.*13.
(b) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 17.
(c) *Litt. D. n.* 8. *et* 60.
(d) Ap. Andream Vallensem, *in paratitlis ad tit. de peculio clericor. n.* 2.

singulis diebus, ac horis percipiuntur, tamquam merx servitii, et laboris personalis, ut inquit Cardinalis de Luca (*a*), nulla, ni fallor, niti probabilitate. Ea namque beneficii pars, quae datur in titulum beneficii, quamque ipsi *praebendam* appellant, mihi non videtur separari posse ab ea, quae datur propter servitium personale, sicut onus beneficio adnexum ab ipso beneficio est inseparabile; ne aliter dicatur pretium laboris, quo nihil absurdius, cum *non ideo debeamus evangelizare, ut manducemus, sed ideo manducare, ut evangelizemus*, ut inquit S. Augustinus (*b*). Itaque non dicitur pretium, seu merx laboris, sed stipendium, ut ipse animadvertit (*c*), et ego scripsi in *cap.* 1. *de defin. benefic.*

Hanc Augustini doctrinam tuetur in primis Wan-Espenius (*d*), quam libenter sequor in hac parte, licet non diffitear ipsum in hac praecisa materia peculii clericorum esse rigidissimum. Neque contrarium videtur sensisse Tridentinum, dum *sess.* 22. *de reform. cap.* 3. decrevit, ut tertia pars fructuum Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum divideretur in distributiones quotidianas iis, qui Ecclesiae, seu chori servitio intersunt. Nam Concilium admisit dictam fructuum divisionem ad coercendam dumtaxat clericorum negligentiam in servitio chori, cum eadem pars, licet servitio chori specialiter reservata, dici nequeat a beneficio separata.

(a) *De Paroch. disc.* 20. *n.* 7.
(b) *Lib.* 2. *de serm. domin. in mont. cap.* 16.
(c) *Lib. de past. et ovib. cap.* 2.
(d) *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 4. *tit.* 1. *cap.* 5. *n.* 3. *ad* 7.

Hinc omni probabilitate destituta mihi videtur illa doctorum distinctio, quae Cardinali de Luca (*a*) visa fuit *in puncto juris magnam probabilitatem habere*, ut ipse ait, inter distributiones, quae fiunt *sola ratione canoniae, et praesentiae, utpote subrogatae loco praebendae*, et distributiones, quae fiunt *ratione servitii, ac interessentiae per punctaturas*, cum ratio ab ipsis allata sit manifeste falsa, nempe quia *in effectu non sunt fructus, neque emolumenta beneficii, sed parvum salarium, seu merx laboris*, ut refert idem Cardinalis de Luca (*b*). Ideoque praxis obtinet, prout testatur ipse Cardinalis de Luca (*c*), ut fructus nondum exactos heredes beneficiati, ut ipsi docent, non capiant, sed Camera Apostolica, aut Ecclesia.

Dictas vero distributiones *ratione canoniae, et interessentiae*, quas doctores distributiones *massae grossae* appellant, ut antea dixi in *cap.* 7. *de benef. curat.*, in portionem congruam imputari non dubitatur juxta sensum Sacrae Congregationis Concilii, quem testatur idem Cardinalis de Luca (*d*) loquens de Canonico, qui curam habet animarum Capitulo adnexam, *cum hac tamen distinctione* (subjicit ipse in causa Archipresbyteri Cathedralis Muranae cum Capitulo ejusdem Cathedralis), *quod aut dicta participatio massae erat ex sola ratione servitii in choro, missae conventualis per turnum, absque alio onere celebrationis missarum privatarum pro satisfaciendo anni-*

(a) *De benefic. disc.* 100. *n.* 13.
(b) *Loc. cit.*
(c) *Loc. cit.*
(d) *De Paroch. disc.* 20. *n.* 7. *in fin. et* 8.

Digitized by Google

anniversariis, ac piis legatis, ex quibus frequentius annui reditus, vel alia bona obtineri solent, et tunc totum veniret imputandum, atque participatio haberet naturam praebendae ad hunc effectum, stante quod servitium Parochiae, et in exercitio curae, succedit loco servitii in choro, dum pro non interessentia ob dictum impedimentum non punctatur, (nota ista verba, *non punctatur*, cum, si adesset *punctatura*, distributiones semper essent incertae); *atque ista est congrua ratio, ex qua Sacra Congregatio ita sentit: aut vero adest etiam admixtum onus celebrationis missarum, in quo non datur adimplementum fictum, seu per aequipollens, ut est praedictum aliud onus interveniendi in choro, et tunc eleemosyna proportionata huic oneri sine dubio deducenda venit, ac non imputanda, cum in ea cadat adamussim illa ratio, quae cadit in distributionibus mere quotidianis, ac minutis, quin imo fortior*. Et ita in eadem *Murana congruae* definivisse Rotam refert idem Cardinalis de Luca (*a*), et Pitonus (*b*). Si vero legatum missarum sit ad rationem majorem ordinario stipendio, et Parocho concessa fuerit facultas retinendi reliquum ultra ordinarium stipendium missarum, quae ob aliquod ejusdem Parochi legitimum impedimentum ab altero Sacerdote celebrantur, crederem reliquum illud in portionem congruam imputari, quia agitur de re, seu de oblatione certa.

Haec pauca de portione congrua adnotasse sufficiat pro usu fori ecclesiastici, ne onera gravia imponat pro reparatione Ecclesiarum, aut altero ex-

(a) *Loc. cit.*
(b) *Discept. eccles. 46. n. 9.*

expensarum genere ultra portionem congruam Parochorum, aliorumque beneficiatorum sustentationi necessariam.

Inter jura eorumdem Parochorum merito recensetur jus, quod dicitur *funerandi*. Sicut enim ad Parochos pertinet jus administrandi Sacramenta, ita et pertinet jus sepeliendi cadavera Parochianorum, quibus vivis Sacramenta administrarunt. Itaque sicut ad Sacramentorum administrationem (si matrimonium excipias) necessarium non est domicilium eorum, quibus Sacramenta administrantur; ita nec necessarium est ad sepulturam eorum, qui in Parochia morabantur, dum obierunt, sine animo ibi domicilium adquirendi, prout docet constans Canonistarum sententia (*a*), et communis praxis, quam testatur Wan-Espenius (*b*).

Inter hos tamen recensendi minime sunt peregrini, qui in alienam Parochiam transeuntes ibi moriuntur, ut expresse definitur in *cap.* 3. *de sepult. in VI.*, ubi Bonifacius VIII. decrevit, quod *is, qui habet domicilium in Civitate, vel Castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in Ecclesia dictae Villae, sed in sua Parochiali, vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari.* Loquitur Bonifacius de sepultura majorum, qua non exsistente, cadavera mortuorum sepeliri debent in Ecclesia Parochiali, ut infra dicam. Itaque

(a) Ap. Abb. Panormit. *ad cap.* 1. *de sepult n.* 4.

(b) *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 4. *tit.* 7. *cap.* 3. *n.* 7. *et* 8.

que quod doctores dicunt, nempe ut quoad jus sepulturae consideranda sit habitatio, non domicilium, intelligendum est, *dummodo non sit causa recreationis, vel alias statim rediturus ad propriam Parochiam*, ut ex *dict. cap.*, ex doctorum sententia, et Rotae Romanae decisionibus concludit Antonellus (*a*): nisi aliud de consuetudine obtineat, prout de Gallia testatur Wan-Espenius *in addit.* (*b*).

Hinc patet, in assiduis controversiis, quae exoriuntur inter Parochos super jure Parochiali in aliquo loco, vanam et futilem esse probationem fieri solitam, quod cadaver alicujus mortui in aliquo loco, quo se transtulit recreationis causa, vel quia ruralia exercebat, ut verbis utar Bonifacii VIII. in *dict. cap.* 3. *de sepult. in VI.*, fuit in altera, vel altera Ecclesia sepultum. Hujusmodi enim cadaveris translatio ad propriam Ecclesiam nullam ipsi Ecclesiae jurisdictionem Parochialem tribuit neque in possessorio, neque in petitorio in loco; ubi decessit, et unde fuit translatum; imo cum ibi decesserit, ubi manebat recreationis causa, vel ut ruralia exerceret, in sua Parochiali debebat sepeliri juxta dictam decretalem, prout ego neque in possessorio, neque in petitorio unquam admisi, cum hujusmodi causas judicaverim.

Verum (subjicit idem Antonellus (*c*) ex eorumdem doctorum sententia, ac ipsius Rotae Romanae decisionibus) *si quis ruri permaneret animo habitandi pro majore anni parte, vel haberet domum hyema-*

(a) *Lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 37.. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 10.

(b) *Loc. cit. cap.* 3. *ad num.* 10. *litt. A.*

(c) *Loc. cit. n.* 38.

malem in civitate , et aestivam in rure , et aequali tempore modo in una , modo in altera moretur , tunc efficitur utriusque Parochiae Parochianus , ut qui in duobus locis aeque principale habet domicilium , et ideo in ea sepeliendus est , in qua decedit . Et tunc , si electio facta sit sepulturae , idem intelligendum esse existimo ; quod doctores tradunt (a) ex *cap. cum quis , de sepult. in VI.* , et ex doctrina glossae ad *id. cap. verb. domicilia , litt. B.* , de iis , qui in duobus locis aequaliter domicilium habent , vel habitant in domo in finibus duarum Parochiarum sita , vel in duabus domibus unitis in finibus duarum Parochiarum sitis , et facta sit electio sepulturae ; nempe quod jura parochialia dividi debent inter Parochos utriusque Parochiae.

Igitur jus Parochorum quoad sepulturam versatur circa cadavera eorum , qui ante obitum in eorum Parochia morabantur , licet non animo ibi contrahendi domicilium ; nisi sint Religiosi , etiam oblati , qui licet in aliena Parochia habitaverint , jus habent , ut sepeliantur in Ecclesia monasterii , ut definitur in *cap. final. de sepult. in VI.* ; *nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti , quod ad ea , cum moriuntur , commode portari non possint* , ut decrevit Bonifacius VIII. in *dict. cap.* ; quia *nequeunt , cum velle , vel nolle non habeant ; sibi eligere sepulturam* , ut Pontifex subjicit .

Idem valet pro Canonicis , quorum Ecclesia ipsis est pro Parochia ; imo receptum est in praxi , quam testatur Wan-Espenius (b) , ut qui alicui Ecclesiae per be-

(a) Ap. Antonell. *loc. cit. n.* 39.
(b) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 18.

beneficium sunt adscripti, in eadem Ecclesia sepeliantur. Idemque dicendum de iis, qui sepulchra habent majorum, vel sepulturam elegerint, in loco tamen religioso, ut definitur in *cap.* 3. *de sepult.*. Neque obstat *cap.* 2. §. *fin. de sepult. in VI.*, ubi Bonifacius VIII. decrevit non esse impugnandam electionem factam sepulturae *in loco minus religioso*, quem Canonistae (*a*) explicant pro Oratorio, vel Sacello, non pro loco profano. Cum mihi quandoque obtigerit definire extemporales quaestiones exortas inter Parochos super jure sepeliendi alicujus defuncti cadaver, in quibus incidenter agebatur de electione sepulturae in loco non religioso, semper decrevi, ut sepeliretur *in Ecclesia Parochiali*, *vel alibi*, *ubi legitime fuerit electa*, *et erecta sepultura*.

Ad veterem disciplinam quod attinet, vetita erat quaecumque exactio pro sepultura. Etenim *horribile nimis est*, *ut pro sepulturis*, *et exequiis mortuorum*, *et benedictionibus nubentium*, *seu aliis Sacramentis aliquid requiratur*, ut ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. dicitur in *cap.* 9. *de simonia*. In quo *eod. cap.*, utque in *cap.* 8. *eod. tit.*, et in *cap.* 13. *de sepult.*, aliisque decretalibus, et Conciliis, ac Jure quoque civili hujusmodi exactio expresse reprobatur, quae tamen non vetant, ut clerici recipere possint oblationes spontaneas juxta peculiarem Ecclesiarum consuetudinem, ut animadvertit Wan-Espenius (*b*): quo deinde factum est, ut jura funeralia taxata fuerint, et *situti decimarum solutio in sua origine voluntaria* sen-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 23.
(b) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 22.

Digitized by Google

sensim in necessitatem versa est, ita et circa has funerarias oblationes contigit, ut inquit ipse (*a*).

Verum non licet Parochis propter hujusmodi jura funeralia sepulturam differre, aut pignus recipere, quod Jure tum canonico, tum civili Imperatorum, etiam gentilium, improbatum fuisse, uti *rem barbaram*, ostendit Christianus Lupus (*b*), qui de abusu loquens exigendi quoddam jus, quod *jus funeris* vulgo dicitur, pro translatione ad propriam Ecclesiam cadaveris alicujus mortui per accidens extra propriam Parochiam, puta recreationis causa, aut quia ruralia exercebat, ut antea dixi, interdum cum ejusdem cadaveris sequestro, subjicit; *cujus consuetudinis justitiam non video usque huc, et cupio edoceri.*

Itaque vetita fuit a S. Carolo in Concilio Mediolanensi IV., *nisi translatio cum funere sit*; quibus verbis non obscure alludit ad veterem Ecclesiae disciplinam, qua in Ecclesiis locorum, *per quos cadavera deferebantur ad locum sepulturae, mortuos deponebant, donec Pastores illic cum Clero preces suas pro defuncto effudissent; atque haec pietatis officia sensim per Parochos tracta esse in necessitatem apparet*, ut inquit Wan-Espenius (*c*): unde originem sumsisse hujusmodi exactionem verisimiliter sentit idem Wan-Espenius (*d*).

Ex his igitur patet, hujusmodi juris funeris exactionem propter translationem cadaveris omnino

---

(a) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 5c.

(b) *Dissert.* 2. *prooem. ad tom.* 3. *schol. in Can. cap.* 12.

(c) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 56.

(d) *Eod. loc. cit.*

no illicitam esse, quia *Parochus nullum suffert in Sacramentorum administratione laborem*, *cujus ratione quarta funeris*, *aliaque emolumenta parochialia debita sunt*, ut ait Cardinalis de Luca (*a*): ejusdem autem exactionis gratia sepulturam negari, aut differri merito *rem barbaram* vocari, cum nec honestum sit, nec religioni consonum, ut recte monet idem Wan-Espenius (*b*), negare, aut differre sepulturam ejus, *qui vitae suae meritis*, *et conditione*, *sive statu meruit honestam*, *ac honorificam sepulturam*. Quin et pauperum cadavera gratis sepelienda esse patet ex declarationibus Sacrae Congregationis, quas refert Antonellus (*c*). Hinc quoque patet, quàm gravem scrupulum sibi injiciant Ordinarii, dum non invigilant istis injustis Parochorum exactionibus, neque eas compescunt, nec cogunt Parochos ad restitutionem juris indebite exacti. Cum quo tamen non est confundendum jus funeris, quod exigitur a Parocho pro funere sui Parochiani, etiamsi fuerit ab ipso electa sepultura, quae eligi potest *salva justitia illarum Ecclesiarum*, *a quibus mortuorum corpora assumuntur*, ut definitur in *cap.* 9. *de sepult.*

Hic obiter notandum, cuique jus esse sepulturam eligere, etiam filio familias sine consensu patris, modo sit saltem minor, seu pubes, ut decrevit Bonifacius in *cap.* 4. *de sepult. in VI.* Impubes enim sepelitur in sepultura electa a patre *concurrente consuetudine*, inquit Summarium in dict.

(a) *De Paroch. disc.* 23. *n.* 7.
(b) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 60.
(c) *De regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 35.

dict. cap. 4. *de sepult.*, seu *si consuetudo Terrae id habeat*, ut inquit Bonifacius VIII. in *cap.* 4. *eod. tit. in VI.*; aut non existente consuetudine, in sepultura majorum, vel Ecclesiae Parochialis, ut decrevit idem Pontifex in *cap.* 4. *de sepult. in VI.*. Uxor quoque potest eligere sepulturam, *cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier solvitur a lege viri*, ut ait Lucius III. in *cap.* 7. *de sepult.*: ipsa vero mortua sine electione sepulturae, sepelitur in sepultura viri, nempe ultimi viri, si plures viros habuerit, ut decrevit idem Pontifex in *cap.* 3. §. *mulier, de sepult. in VI.*

Quae sepulturae electio adeo privilegiata in jure est, ut valeat facta quovis modo, etiam solo verbo, et probari possit per testes etiam singulares, vel alio modo, puta *ex facti evidentia, ex destinatione patrisfamilias, si videlicet sibi, vel uxori, seu familiae aliquo loco monumentum fieri fecerit, si sarcophagum posuerit, si epitaphium, praeveniendo tempus mortis, posuerit*, ut docet Wamesius (*a*), et declaravit Sacra Congregatio, ut refert Antonellus (*b*); modo libere facta sit sepulturae electio; cum, si vel simplex alterius suasio accesserit sive ad faciendam, sive ad mutandam electionem sepulturae, suadentes clerici sive saeculares, sive regulares, ad restitutionem teneantur *tam sepultorum corporum, si petantur, quam etiam omnium, quae occasione sepulturae illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem, intra decennium integraliter faciendam*, ut de-

---

(a) *Cons. can.* 433. *ex dec.* 544. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 31. *ad* 35.
(b) *Lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 42.

decrevit Bonifacius VIII. in *cap.* 1. *de sepult. in VI. in fin.*, et restitutionem infra decennium computandum a die petitionis, ut tradit glossa ad *id. cap. verb. decennium*: si facta non fuerit, *Ecclesiae ipsae, apud quas sepulta fuerint, necnon et coemeteria earumdem ex tunc eo ipso sint, et tamdiu maneant ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium praedictorum*, ut idem Pontifex decrevit; ac insuper excommunicationem ipso facto incurrant, quae tolli nequeat *ab alio, quam a Sede Apostolica, praeterquam in mortis articulo*, ut decrevit Clemens V. in Clementina, *cupientes, de poenis, in fine*.

Ut e diverticulo in viam redeam, animadvertendum est, praeter jus funeris deberi Parocho, etiam electa sepultura extra Ecclesiam Parochialem, portionem de oblationibus funeralibus, ut definitur in *cap.* 1., *et* 2. *de sepult.*, quae in *dict. cap.* 1. dicitur *tertia pars*, in *cap.* 2. dicitur *medietas*, in *cap.* 8. *eod. tit.* dicitur *quarta*, in *cap.* 9. *de sepult. in VI.* dicitur *canonica portio*, et in Clementina, *dudum, de sepult.* dicitur *quarta*, sive *canonica portio*, quam juxta *rationabilem consuetudinem regionis* deberi decrevit Clemens III. in *cap.* 9. *de sepult.*, nempe *circa medietatem, vel tertiam, vel quartam partem pro locorum diversitatibus*; et in *quarta parte* dari decrevit Clemens V. in dicta Clementina *dudum, de sepult.*, quam *auctoritate Apostolica*, ut ipse subdidit, taxavit.

Ut ut vero sit, praxis communis obtinet, ut servetur consuetudo (*a*), quam confirmavit Tridentinum *sess.* 25. *de ref. cap.* 13., dum decrevit, *ut*

(a) Antonell. *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 6.

eadem poſthac integro jure, et eadem portione, quae antea ſolebat, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiae perſolvatur, ac ſervari teſtatur Wan-Eſpenius (a) *non tantum circa quantitatem, ſed et circa ea, ex quibus debetur*: aut tranſactio inter Parochos, et Capitula, aut Regulares, ſeu eorum Conventuum Superiores; etiam ſine Superioris Regularis, aut Sedis Apoſtolicae aſſenſu, ut decrevit Bonifacius VIII. in *cap. fin. de pact. in VI.*; modo Conventuum conſilium, et aſſenſus accedat. Faciles vero in hujuſmodi conventionibus Parochi ſe non praebeant (monet opportune Wan-Eſpenius (b)) cum, quae *pacis et concordiae cauſa ineuntur*, *poſtmodum ſint litium, et diſſidiorum ſemina*.

Parochus autem, qui ſub nomine Clerici intelligitur in *cap.* 4. *de praeſcription.* (c), de obventionibus funerum portionem dare debet Epiſcopo, quae in jure *canonica* quoque *portio* appellatur; niſi quadragenaria praeſcriptione praeſcripta fuerit contra Epiſcopum praeſentem: nam contra abſentem, puta ſi per quadraginta annos Eccleſia Paſtore caruiſſet, nulla eſt praeſcriptio, ut decrevit Alexander III. in *dict. cap.* 4. *de praeſcript.*. Dicta canonica portio, *quarta* quoque dicitur, licet poſſit eſſe tertia pars, aut major, ut patet ex *can.* 7., *et* 8. *cauſ.* 10. *qu.* 1.. Itaque idem dicendum de quarta Epiſcoporum, quod antea dictum fuit de quarta Parochorum; ſcilicet ut ſervetur conſuetudo.

CA-

(a) *Tom.* 3. *P.* 2. *ſect.* 4. *tit.* 7. *cap.* 5. *n.* 36.
(b) *Loc. cit. cap.* 5. *n.* 40.
(c) Gonzalez *in not. ad dict. cap.* 4. *de praeſcription. Verb. clericus, litt. D.*

CAPUT XIV.

De rebus Ecclesiae alienandis, vel non.

ALienationem bonorum Ecclesiae ante Extravagantem, *ambitiosae, de rebus Ecclesiae alienandis*, quin et jampridem ab illis usque Ecclesiae saeculis, cum, cessante Ethnicorum Imperatorum persecutione, coepit Ecclesia etiam bona immobilia possidere, prohibitam fuisse, satis constat ex Concilio V. Carthaginensi ann. 398. apud Gratianum *caus.* 17. *qu.* 4. *can.* 39., ex epistola, quae refertur ab eodem Gratiano sub nomine Leonis Papae *caus.* 12. *qu.* 2. *can.* 52., ex cap. 7., *et* 8. *de iis, quae fiunt a praelato*, ex decreto, quod refertur in *cap.* 1. *eod. tit.* sub nomine Concilii Valentini, aliisque canonibus Conciliorum, et epistolis decretalibus Pontificum, quae in Jure exstant sub *tit. de reb. Eccles. alienand.*, *vel non*. His consentiunt leges quoque civiles, nempe Imperatorum Leonis, et Anthemii, ac Anastasii in *l.* 14., *et* 17. *Cod. de sacrosanct. Eccles.*, et Justiniani in *novell.* 7., *et* 120. Sanctiones. Id autem obtinet sive Ecclesia libera sit, sive juripatronatus, etiam laicorum, subjecta, cum neque ipse Patronus possit bona beneficii sui jurispatronatus alienare, aut sibi vindicare sub poena privationis ipsius jurispatronatus; quae tamen poena in Regno usu recepta non est ob contrariam ejusdem Regni politiam.

Dicta prohibita bonorum Ecclesiae alienatio complectitur distractionem, non solum proprietatis, puta venditionem, donationem, permutationem, alias-

Digitized by Google

aliasque hujus generis alienationes, quibus dominium tam directum, quam utile ab Ecclesia abdicatur; sed etiam ususfructus, puta infeudationem, emphyteusim, locationem ad longum tempus, pignus quoque, et hypothecam. Nec item licet alienare mobilia pretiosa, puta vasa argentea, vestes pretiosas, nisi attrita sint, nec totum gregem, nam agni, haedi, vituli dicuntur fructus gregis, qui possunt alienari, uti ceteri fructus, nec silvas non caeduas, seu arbores frugiferas, nisi demortuae, aut ob vetustatem, vel ob aliam causam inutiles sint, vel modicum fructum adferant; quibus quidem legitima Episcopi auctoritate incisis, aliae ejusdem generis arbores substitui debent (*a*), non secus ac usufructuarius de jure tenetur arbores in locum demortuarum subrogare, si culpa sua eversae fuerint: ut qui gregis, aut armenti usufructuarius sit, alia animalia in locum demortuorum ex natis, aut etiam non natis, si nata non sint, debet subrogare. Animalia vero superflua, fructus, aliaque bona, quae servando servari saltem triennio nequeunt, aut incisio arborum, quae fit, ut aliae melius crescant, aut fit a pastoribus ob usum pascuorum, sub prohibita alienatione non sunt (*b*).

Ne-

(a) Wan-Espen. *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 4. *tit.* 5. *cap.* 3. *n.* 23. *ad* 26., *et n.* 29. Zipaeus *in jur. nov. tit. de reb. Eccles. non alienand. n.* 8. Antonell. *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 3., et *cap.* 7. *n.* 1. *ad* 4. Card. de Luca *de alienat. disc.* 1. *n.* 16. *ad* 41.

(b) Antonell. *loc. cit. cap.* 7. *n.* 1., Card. de Luca *de alienat. disc.* 1. *n.* 26.

Digitized by Google

Neque sub prohibita alienatione comprehenditur patrimonium sacrum alicui donatum titulo ordinationis (*a*), cum in ea sufficere auctoritatem Episcopi expresse definiverit Tridentinum *sess.* 21. *de ref. cap.* 2., ubi decrevit, bona patrimonii *sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus posse, donec clerici beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum Canonum poenas super his innovando*. Hinc passim a Curiis ecclesiasticis conceditur assensus super hujusmodi patrimonii alienatione, aut permutatione, praeviis tamen affixione edictorum, ac omnibus aliis actis in ipsa patrimonii constitutione fieri solitis.

Poena autem, de qua loquitur Tridentinum, est suspensio ex Constitutione lata ab Urbano VIII. contra ordinatos in fraudem sine titulo (*b*). Si vero alienatio fiat etiam sine licentia Episcopi a clerico, qui aliunde habet, unde vivat, punitur clericus alienans sine licentia Episcopi poena Episcopo arbitraria juxta unam Canonistarum sententiam, quam Barbosa vocat *veriorem* (*c*): licet juxta alteram sententiam, quam Antonellus *communem* appellat (*d*), dicta Episcopi licentia non sit necessaria. Vide eumdem Antonellum de *regim. Eccles. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 38., et Card. de Luca *de alienat. disc.* 38. *n.* 8. *et* 9., et *de donat. disc.* 11. *n.* 2. *et seq.*

(a) Antonell. *loc. cit. cap.* 4. §. 4. *n.* 7., *et* 8.
(b) Antonell. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 12. *in fin.*. Antoine *in theolog. moral. in tractat. de ordine, qu.* 8. *n.* 6.
(c) *De offic. et potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 19.
(d) *Lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 38.

Utrum ista prohibitio alienationis transactionem quoque complectatur, merito quaerunt doctores, qui in diversas discedunt sententias. Affirmant alii (*a*), nisi transactio sit de modica summa, quorum sententiam in praxi receptam, ut testatur Quaranta relatus ab Antonello (*b*), amplexa est Rota Romana, ut refert Cardinalis de Luca (*c*), *non curato, an possessio de facto sit penes Ecclesiam, vel penes aliam partem*, ut refert idem Cardinalis de Luca, *Ex quibus patet* (inquit ipse) *idem procedere; quamvis super juribus incorporalibus inter duas Ecclesias, vel duo Corpora ecclesiastica fierent: nisi* (subjicit ipse) *Ecclesia omnia controversa bona, vel jura alienari prohibita obtinendo per transactionem, aliquid collitiganti praestet in pecunia, vel aliis rebus alienari non prohibitis; sive etiam debitum contrahat cum eodem transigente, vel cum alio, solvendum cum fructibus, ita et taliter, quod bonorum substantia in proprietate non tangatur*; quod et Rotae decisionibus comprobat.

Negant alii (*d*), si transactioni, præter circumstantiam in omni transactione necessariam, ut sit de re dubia, duae aliae accedant; nempe ut cedat in evidentem Ecclesiae utilitatem, et rei, super qua fit transactio, possessio non sit penes Ecclesiam; *cum dici non debeat alienatio prohibita utpote sapiens speciem rei judicatae, sive prudentis as-*

(a) Ap. Antonell. *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 10.

(b) *Loc. cit.*

(c) *De alienat. disc.* 1. *n.* 42. *vers. Indefinitis*.

(d) Ap. Antonell. *loc. cit. n.* 9. Card. de Luca *de alienat. disc.* 1. *n.* 42.

securationis partis, ne amittatur totum per incertam aleam eventus litis, juxta ea, quae habentur etc. super articulo, an, et quando alienari prohibitus transigere valeat, adeo ut obliget etiam successores, ut refert idem Cardinalis de Luca (*a*) ex eorumdem doctorum sententia. Quam in praxi receptam vidi a doctissimis Episcopis, praevia tamen summaria cognitione causae, et duorum saltem testium Jurisperitorum depositione super transactionis utilitate, nempe quod transactio expedit Ecclesiae; cum semper necessarius sit assensus Episcopi, ad quem de jure pertinet cognoscere dictam evidentem Ecclesiae utilitatem, ut patet ex *cap. statuimus, de transact.*

Ut ut vero sit, exploratum est transactionem super fructibus fieri posse auctoritate Episcopi, cum ista species alienationis non *percutiat rei substantiam*, ut verbis loquar Cardinalis de Luca (*b*), juxta decisionem Rotae in *Veneta pretii bonorum* coram Pamphilio, quam ipse refert, et quae *reputatur in materia magistralis*, ut testatur idem Cardinalis de Luca (*c*). Hinc licet auctoritate Episcopi, causa tamen cognita, fieri transactionem inter Ecclesias, vel ecclesiasticos super decimis, juribus funeralibus, aliisque juribus Parochialibus, ut definitum fuit in *cap. fin. de pact. in VI.*, et patet ex Rotae decisionibus ab eodem Cardinali de Luca relatis (*d*), aut super

(a) *Loc. cit. n.* 42.

(b) *De donation. disc.* 25. *n.* 16.; *de alienat. disc.* 17. *n.* 5.

(c) *De donat. disc.* 25. *n.* 16.

(d) *De alienat. disc.* 17. *n.* 5.

modo procedendi in processionibus, puta super praecedentia (*a*).

Sub dicta prohibitione alienationis quoad poenam non comprehenditur distractio pecuniae, *quae ob destinationem habet naturam capitalis*, ut inquit idem Cardinalis de Luca (*b*). Itaque distrahens (docet ipse) punitur arbitrio Episcopi: neque Ecclesiae Rector, aut administrator *tenetur* (subjicit ipse loquens de pecunia redacta ab extinctione census) *praecise ad eamdem speciem investimenti, cum prohibitum non sit pecuniam obventam ab extinctione census erogari in loca Montium, vel in bona stabilia; et e converso, quoties lex particularis super modo praeciso investimenti non urgeat*. Huic tamen controversiae ulterius immorari non oportet, cum in quolibet assensu super alienatione semper exprimatur species conversionis, seu investimenti pecuniae ex eadem alienatione redactae.

Quoad locationem autem, ne sit ad longum tempus, et ne sub dicta prohibita alienatione comprehendatur, fieri debet per triennium, non quidem naturale, sed utile. Igitur si bona non producant fructus, nisi post biennium, aut triennium, locatio etiam ad sexennium, vel novennium facta dicitur locatio ad modicum tempus (*c*), quia *quaelibet integra fructuum perceptio pro uno anno reputatur*, ut optime ad rem respondet Cardinalis de Luca

(a) Card. de Luca *de alienat. disc.* 17. *n.* 5.

(b) *De alienat. disc.* 51. *n.* 10. *in fin.*

(c) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *num.* 3.. Covarruv. *lib.* 2. *variar. resol. cap.* 16.. Antoneil. *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 4. *ad* 6.

Digitized by Google

ca (*a*), qui id frequentibus Rotae decisionibus comprobat. Itaque facta locatio ultra triennium non valet etiam pro primo triennio, cum contractus sit individuus, ut post alios Canonistas docet Wan-Espenius (*b*), *et in Rota, et Curia* (testatur Cardinalis de Luca (*c*)) *magis recepta, hodieque plana est opinio, ut utile per inutile vitietur, ideoque corruat actus in totum, etiam pro ipso triennio.*

Facta vero per plura triennia adjecta clausula, ut exacto quolibet triennio nova intelligatur facta locatio, etiam cum pacto renovandi, num sustineatur, quaerunt Canonistae (*d*). Wan-Espenius (*e*), aliique relati ab Antonello (*f*) docent contractum validum esse pro primo triennio, nisi ex conjecturis appareat locatorem bona locata aliter, quam modo supradicto, non locaturum fuisse, aut conductorem non conducturum fuisse; aut appareat conducturum fuisse sub una pensione per totum locationis tempus, sine distinctione ut pensio solvatur quolibet triennio, cum tunc contractus integre vitietur, etiam pro primo triennio. Alii vero absolute docent contractum integre irritum esse, adeoque vitiari etiam quoad primum triennium, cum ejus forma a jure praescripta sit in-

(a) *De alienat. disc.* 1. *n.* 34.
(b) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 7.
(c) *De alienat. disc.* 1. *n.* 33.
(d) Ap. Wan-Espen, *loc. cit. cap.* 2. *n.* 7., et ap. Antonell. *loc. cit. cap.* 5. *n.* 1., *et* 3.
(e) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 7.
(f) *Loc. cit. n.* 1. *ad* 8.

Digitized by Google

individua, ut patet ex pluribus Rotae decisionibus, quas refert Antonellus (*a*), et tradunt doctores ex decisione S. Cons. Neapolitani, quam refert Afflictus *decis.* 107.; in qua tamen agebatur de secunda concessione in emphyteusim facta ab Ecclesia in perpetuum post primam factam ad secundam generationem, durante adhuc dicta secunda generatione, nempe de concessione facta cum pactis diversis. Vide eumdem Afflictum praecise super locatione per plura triennia *loc. cit. n.* 4.

Verum, quidquid aliqui aequivocando involvant, omnino vera videtur distinctio (inquit Cardinalis de Luca (*b*)), *quod aut dictum pactum renovationis est necessarium ab initio, adeo ut locatio pro secundo, vel ulteriori triennio praecise derivet a primo contractu, et tunc sit verius actum cadere sub prohibitione, atque in totum corruere: aut continuatio pendet ab omnino libera utriusque contrahentis voluntate, solumque de illa conventum sit in casu perseverantiae, seu voluntatis in contrarium non declaratae, et tunc secus, quoniam isto casu fingitur vere omnino novum contractum ex integro celebrari per viam novae voluntatis, et conventionis ita mediante silentio explicatae.* Quae distinctio mihi probabilior videtur, et in praxi servanda. Ubi enim secundum, vel alterum triennium a primo non derivet, et locatio plura habeat pretia distincta, de jure obtinet theoria inter doctores indubitata (*c*), ut utile per inutile non

(b) *Loc. cit. cap.* 5. *n.* 2.
(a) *De alienat. disc.* 1. *n.* 33.
(c) Ap. Card. de Luca *de credit. et debit. disc.* 110. *num.* 6.

Digitized by Google

non vitietur, sed contractus sustineatur pro parte utili, ut inter alios docet Donellus in *comment. ad Cod. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 18. *ad auth. si quando, pag.* 197. *n.* 6., et Brunemannus in *comm. ad Pandect. tom.* 1. *lib.* 22. *ad l. pecuniae* 9. *n.* 3. *pag.* 611., et patet ex *l.* 1. §. 5. *de verb. oblig.*, ubi Ulpianus ait: *sed si mihi Pamphilum stipulanti tu Pamphilum, et Stichum spoponderis, Stichi adjectionem pro supervacuo habendam puto: nam si tot sunt stipulationes, quot corpora, duo sunt quodammodo stipulationes, una utilis, alia inutilis, neque vitiatur utilis per hanc inutilem*; et ex *l.* 29. *ff. de usur.*, ubi Marcianus ait: *Placuit, sive supra statutum modum qui usuras stipulatus fuerit, sive usurarum usuras, quod illicite adjectum est, pro non adjecto haberi, et licitas peti posse*; ubi Dionysius Gothofredus *n.* 56. notat: *Usurae illicitae adjunctae licitas non vitiant.*

Videtur obstare *l. graece ff. de fidejuss.* §. 7., ubi Ulpianus ait: *Illud commune est in universis, qui pro aliis obligantur, quod si fuerint in duriorem causam adhibiti, placuit eos omnino non obligari; in leviorem plane causam accipi possunt.* Ex quibus verbis nonnulli docent (a), ut fidejussor, qui se obligavit solvere ex. gr. quindecim, cum debitor solum decem solvere debeat, neque decem dare teneatur, ideoque utile per inutile vitietur. *Usus tamen* (notat Dionysius Gothofredus ad *dict. l. n.* 51.) *contrariam sententiam, ut aequiorem, probat, quod nimirum fidejussor ad majorem summam se obligans, quam principalis debet, ad concurrentem teneatur. Neque*

(a) Ap. Cujacium *in comment. ad l.* 9. *de usur. litt. B. tom.* 4. *pag.* 1209.

que obstant verba l. omnino non, quae restringi debent ad praecedentia verba in duriorem partem, ita ut omnino non, idest nullo modo, in duriorem partem obligetur, in leviorem concurrentem obligari possit, si scilicet stipulatio sit dividua. Perbelle Gothofredus.

Verum ut omnis controversia dirimatur (optime ad rem animadvertit Cujacius (*a*)), *separare debemus eum, qui pro se ipso promittit, in qua stipulatione utile per inutile non vitiatur, ut l. 1. §. sed si mihi; de verb. obl.; hunc, inquam; separare debemus ab eo, qui pro alio promittit, in qua stipulatione vel levi de causa ille non obligatur, et facile in eo utile vitiatur per inutile. Nam hoc est singulariter receptum in iis omnibus, qui pro aliis obligantur stulte, veluti fidejussoribus, mandatoribus, expromissoribus, reis constitutae pecuniae, nempe ut, si in duriorem causam adhibeantur puta in majorem, et ampliorem quantitatem, prorsus non obligentur ulla ex parte, si vel minimum vitium insit intercessioni. Quod mirum videri non debet nam et in aliis plerisque causis fortunae eorum, quae plerumque miserrima est, singulariter jura subveniunt.*

Omnino non obstat, quod refert Cardinalis de Luca (*b*), nempe quod, *quamvis apud scribentes magna sit quaestio; an utile per inutile vitietur etc.; adeo ut in dec. 444. P. 4. tom. 2. in fin. dicatur esse articulum adeo dubium, quod tamquam per speciem justae ignorantiae facti excusaret possessorem a restitutione fructuum; attamen hodie in* Rota, *& Curia*

(a) *Loc. cit. pag. 1298. lit. E in fin.*
(b) *De alienat. disc. 1, n. 132.*

ria passim receptum est, quod utile per inutile vitiatur, ideoque actus tamquam individuus remanet in totum inutilis. Nam ex dictis manifeste patet ipsum loqui de actibus individuis, in quibus certe idem non obtinet, nempe de nova concessione facta in perpetuum post primam factam ad tertiam generationem tantum juxta casum propositum. Facta namque concessio in perpetuum neque per triennium consistit, quia agitur de actu individuo, in quo triennium a perpetuo separari non potest, licet alii contrarium dicant; cum vero actus sit dividuus, *cessatio in parte non facit cessare contractum in totum*, ut tradit idem Cardinalis de Luca (*a*) ex *decis. 69.* coram Merlino, quam *plenam, et magistralem appellat*, et est communis sententia (*b*).

Et sane explorati juris est, in jure etiam feudali, ut utile per inutile non vitietur, nisi de ipsa feudi alienatione agatur (*c*). Utile igitur per inutile vitiatur in actibus individuis tantum (*d*). Dividuis; et individuis obligationibus pleni sunt libri Pandectarum. Vide Scipionem Gentilem Jurisconsultum, et Antecessorem Noricum in suis operibus *tom. 1. tractat. de dividuis, et individuis obligationibus*, et magis apposite ad forum vide Antonium Gomesium, *variar. resol. tom, 2. in cap. 10. de individuis*, cum adnotationibus Emanuelis

(a) *De usur. disc. 3. n. 5.*
(b) Ap. de Marinis *resolut. iur. lib. 2. cap. 83. n. 7.*
(c) De Marinis *loc. cit.*. Freccia *de subfeud. lib. 2. qu. 16. n. 3.*
(d) Rovit. *super Pragmatic. 2. de arbitr. n. 22.*

Digitized by Google

lis Soarez a Ribeira, ac additionibus Johannis de Ayllon Laynez, ac Altimari, *de nullit. contract. tom.* 5. *rubr.* 1. *sect.* 2. *supplem.* 3. *qu.* 48. in fine libri *pag.* 58. *n.* 581., *et seq.*. Ordinarie dividui dicuntur contractus, si plures res distinctas contineant, puta in emtione plures res cum pluribus quoque distinctis pretiis, ut passim docent doctores, quasi tot sint stipulationes, quot species, ut recte distinguit Ulpianus in *dict. l.* 1. §. 5. *de verb. oblig.*

Vetitae quoque fuerunt a Tridentino (a) locationes, si *anticipatis solutionibus fiant*, ita ut *nullatenus in praejudicium successorum validae intelligantur*, ut Concilium decrevit. Cumque successor, seclusa peculiari locorum consuetudine, antecessoris locatione de jure non obligetur, locatio exspirat cum ipsa locatoris morte, si intra terminum locationi praefinitum obierit (b); sicut *si fructuarius locaverit fundum in quinquennium, et decesserit, heredem ejus non teneri, ut frui praestet*, scripsit Ulpianus in *l.* 9. §. 1. *ff. locati conducti*: quippe *ususfructus ea natura est, ut morte usufructuarii extinguatur*, ut notat Dionysius Gothofredus ad eamdem legem *n.* 45.. Sustinetur autem locatio facta a Rectore nomine Ecclesiae, tamquam illius administratore, ut puta si fructus ad ipsam Ecclesiam, non ad Rectorem pertineant, ut docent Canonistae (c).

Sunt tamen justae causae, ob quas alienatio fieri potest, nempe necessitas, aut utilitas Ecclesiae,

---

(a) *Sess.* 25. *de ref. cap.* 11.
(b) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 18., *et* 20.
(c) Ap. eumd. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 22.

siae, ut expresse definitur in Clement. 1. *de reb. Eccl. non alienand.*; praevia tamen legitima auctoritate, et servatis de jure servandis in hujusmodi alienationibus. Posse auctoritate Episcopi alienari *terrulas, aut vineolas exiguas, et Ecclesiae minus utiles* dicitur ex *can.* 45. Concilii Agathensis in *can.* 53. *caus.* 12. *qu.* 2.; quae vero bona exigui valoris sint, peculiari Ecclesiarum consuetudine determinantur, et ita praxis obtinet. Sub quibus tamen bonis exigui valoris non comprehenditur modica pars magni praedii, cujus alienationem doctores *dismembrationem* appellant. Hujusmodi enim alienatione, seu *dismembratione*, ut Pragmaticorum verbis utar, magnus aditus pateret fraudibus, *quia hoc modo possunt paulatim alienari omnia praedia Ecclesiae in fraudem*, ut recte animadvertit Antonellus (*a*). Illud tamen, quod doctores tradunt super ista dismembratione, nempe ut adhuc dismembratio dicatur, si res alienanda longe non distet ab aliis bonis Ecclesiae, *non videtur in praxi receptum*, ut testatur Cardinalis de Luca (*b*), ideoque subjicit, quod *ubi bene verificatur requisitum evidentis utilitatis, nimium rarum est in rebus modici valoris hujusmodi controversias in foro audiri*; quas definiendas esse *ex circumstantiis bonam, vel malam fidem redolentibus, et an sit actus, qui a prudenti, ac industrio patrefamilias fieret, necne, pro facti qualitate excludente fraudem, quae legi, seu prohibitioni fieret*, docet idem Cardinalis de Luca (*c*). Uti-

(a) *Loc. cit. cap.* 8, *n.* 5.. Genuensis *in prax. Curiae Archiep. Neapolit. cap.* 60. *n.* 3.
(b) *De alien. disc.* 1. *n.* 116. *in fin.*
(c) *Loc. cit. n.* 117., *et* 118.

Utilitas autem certa esse debet, scilicet talis, ut Ecclesia ex alienatione lucrum capiat; adeo ut ad rescindendam hujusmodi alienationem sine justa causa utilitatis factam laesio ultra dimidiam, aut tertiam partem, ut infra dicam, non requiratur; *quoniam in voluntariis alienationibus eo ipso, quod Ecclesia non est in lucro, dicitur esse in damno*, ut inquit Cardinalis de Luca (*a*). Non ita tamen stricte accipienda est, ut numquam praedii alienatio fieri possit, si utilis sit: praxis namque obtinet, licet aliud de jure sit (*b*), ut sufficiat major utilitas Ecclesiae alienando, quam retinendo praedium, et testes examinentur super eo, quod magis expedit; quam libenter amplector, si agatur de permutatione, vel alio alienationis contractu, quo Ecclesia omnino re sua expoliata non remaneat, puta si pecunia ex venditione redacta in ejusdem generis emtionem legitima auctoritate convertatur. Nam emphyteusis, vel alius contractus, quo dominium sive directum, et utile, sive utile tantum alienatur, non ita facile fieri debet, ne Ecclesia paulatim rebus suis stabilibus expolietur ob pecuniam, quae in ejusdem generis emtionem non conversa facili negotio amittitur.

Igitur *tria copulative requiruntur: primo valoris modicitas: secundo, quod res non sit utilis Ecclesiae, atque concurrat causa necessitatis etc., vel saltem notabilis utilitatis: et tertio, ut accedat auctoritas Ordinarii causa cognita super dictis requisitis*, ut animadvertit Cardinalis de Luca (*c*). *Non sufficit autem* (recte sub-

(a) *De alienat. disc.* 1. *n.* 45. *in fin.*
(b) Antonell. *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 4.
(c) *De alienat. disc.* 1. *n.* 115., *et* 116.

subjicit) *decretum Vicarii Generalis, qui esset Canonicus, vel Rector, qui faciat alienationem, quoniam non potest auctorari sibi ipsi*: et ita refert fuisse decisum per Rotam (*a*). Hinc Vicarius Episcopi nequit assensum praestare super alienatione rerum Ecclesiae, seu Capituli, cujus est canonicus.

Sed neque sola utilitas sufficit, nisi alienatio fiat cum consensu totius, vel majoris partis Cleri, Capituli, aut Conventus (*b*); quoniam consensus publico instrumento, et ab omnibus, vel a majore saltem parte subscriptus, vel aliter juxta Ecclesiarum consuetudinem praestitus (*c*), ante omnia exhiberi debet Ordinario, cum sine Cleri, Capituli, aut Conventus consensu ad nullum actum procedi possit. Et imprimis requiritur assensus Patroni, si Ecclesia, vel beneficium sit de jurepatronatus, ut communiter docent Canonistae (*d*).

Quoad modum autem eam faciendi praescripsit Justinianus in *auth. hoc jus porrectum, de sacrosanct. Eccles.: Per viginti dies rem Ecclesiae venalem esse publico notum sit, ut plus offerenti detur, pretio modis omnibus pro debito dando: aliter enim res emptori non concedatur, et hoc inscribatur, nihil esse factum in ea re ad damnum divinae domus*. Verumtamen, licet in praxi fiat subhastatio in alienatione rerum Ecclesiae, terminus viginti dierum a jure praescriptus non servatur; sed decernitur summa-

 ria

(a) *In Astoricen. census* 1. *Julii* 1661. *coram Priolo.*
(b) Rebuff. *in compend. alien. rer. Eccles. n.* 75., *et* 79. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 21. *ad* 24.
(c) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 33.
(d) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 34.

ria informatio super petita alienatione, appretium rei alienandae, *emanatio bannorum*, ut Pragmatici loquuntur, et *accensio candelae*, quae fit semel, vel ter, prout Judici videbitur, habita ratione rei majoris, vel minoris valoris. Deinde accenditur statuta die, aut diebus certis; si pluries candela accendatur; etiam ante lapsum viginti dierum in dicta authentica praescriptorum, eaque extincta, plus offerenti liberatur. Quin et omissis dictis juris civilis solemnitatibus, alienationem non esse irritam communiter docent Canonistae (*a*).

Utrum vero locatio facta sine dicta solemnitate valida sit, quaerunt doctores. Sententia eorum, qui dicunt locationem esse irritam, illi juris principio innititur, quo utimur in administratione rerum pupilli; vel alterius, qui sub alicujus cura exsistit (*b*); nempe ut vitentur fraudes, quae in hujusmodi administratione facile fieri possunt. Mihi placet sententia eorum, qui dicunt (*c*) servandam esse peculiarem Ecclesiarum consuetudinem, qua fere ubique locationes sine dictis solemnitatibus fiunt, adeo ut, si ob earum omissionem locationes irritae essent, vix una locatio consisteret. Quam sententiam in judicando semper amplexus sum, etiamsi consuetudo obtinuerit, ut locationes interdum sine dictis solemnitatibus, interdum cum dictis solemnitatibus factae fuerint. Hujusmodi enim

(a) Ap. Rebuff. *cons.* 112. Genuens. *in prax. Cur. Archiep. Neap. cap.* 89. *n.* 9. Card. de Luca, *de regalibus*, *disc.* 81. *n.* 16.

(b) Card. de Luca, *de regalibus*, *disc.* 81. *n.* 16.

(c) Ap. Card. de Luca *loc. cit. n.* 17.

Digitized by Google

enim solemnitates potius inter Ecclesiae privilegia recensendae sunt, ut ipsis pro suo arbitrio utantur, quam inter Ecclesiarum obligationes.

Accedente autem oblatione majore, utrum recipi possit post perfectum contractum alienationis sive cum dictis solemnitatibus, sive sine dictis solemnitatibus, merito quaerunt doctores. Sane jure civili inspecto in *l. ait praetor* 7. §. *quaesitum ff. de minoribus*, competit minoribus *adjectio*, vel, ut alii dicunt, *addictio in diem*, ideoque etiam Ecclesiae, vel locis piis, qui ipsorum minorum privilegiis gaudent (*a*). Verum notanda sunt verba *dict. leg.* 7. *ff. de minoribus* §. *quaesitum* 8., ubi Ulpianus ait: *Quaesitum est ex eo, quod in lucro quoque minoribus subveniendum dicitur, si res ejus venierit, et existat, qui plus liceatur, an in integrum propter lucrum restituendus sit, et quotidie praetores eos restituunt, ut rursum admittatur licitatio. Idem faciunt et in his rebus, quae servari eis debent; quod circumspecte erit faciendum*. Super quibus verbis, *circumspecte erit faciendum*, animadvertunt doctores non semper, et absolute admittendam esse majorem oblationem, sed cum circumspectione; *quasi dixerit, perpendendum esse, an res solemniter, atque prudenter gesta fuerit, justoque pretio, an vero imprudenter, iniquoque pretio, ut laesio judicantem movere debeat*, ut inquit de Marinis (*b*). Vide eumdem de Marinis *resol. jur. lib.* 1. *cap.* 147. *n.* 17. *et seq.*

 Igi-

(a) De Marin. *resol. jur. lib.* 1. *cap.* 46. *n.* 7., *et cap.* 147. *n.* 13.. Card. de Luca, *de regul. disc.* 81. *n.* 12.

(b) *Resol. jur. lib.* 1. *cap.* 147. *n.* 17.

Igitur *quod supra* (subjicit idem de Marinis (*a*)) *ex l. ait praetor §. fin., relatum est, minorem etiam in lucris restitui, accipiendum circumspecte, si vel non justo pretio venditio facta sit, vel non congruo loco, et tempore, ut supra exposuimus; et id, quod dictum est, re integra, idest possessione non tradita, restitui minorem ad lucrum, utique intelligendum est, si non justo pretio, aut non congruo loco, et tempore facta venditio sit*. Et licet Ulpianus in *dict. l. ait praetor §. quaesitum*, loquatur de majore oblatione, etiamsi in contractu licitatio intervenerit, ita ut adveniente majore oblatione nova fieri debeat licitatio, ut patet ex illis verbis, *rursum admittatur licitatio: intelligi tamen debet* (animadvertit ipse de Marinis (*b*)), *quando lucrum illud propria ipsius minoris facilitate, vel adversarii dolo amisit, quia incongruo tempore fuit facta licitatio*.

Itaque concludit ex communi doctorum sententia textum in *dict. l. ait praetor §. quaesitum*, tum obtinere in contractibus minorum, *cum ille, qui plus offert, rem distrahendam esse ignoraverit ipsius minoris facilitate, vel adversarii dolo, quia congruo loco, et tempore distractio facta non fuit; sin autem secus, restitutio non datur*. Citat *l. non omnia ff. de minorib.*, et deinde subjicit: *quoties enim minoris res fuerit distracta, nec aliter probetur valere illam plus, quam fuit vendita, venditio non rescinditur, etiamsi ex-*

(a) *Resol. jur. lib.* 1. *cap.* 147. *n.* 24.
(b) *Loc. cit. cap.* 45. *n.* 9.

Digitized by Google

extet, qui plus offerat. Et testatur (*a*) receptam esse distinctionem, quod, *quando venditio, seu locatio facta est legitimis subhastationibus praecedentibus, et illis factis loco congruo, et tempore, et justo pretio, augmentum non admittitur: ceterum si vel non fuit adhibita subhastatio congruo loco, et tempore, vel non justo pretio contractus est factus, nova licitatio admittitur.* Admissa enim nova oblatione post candelam extinctam pro primo oblatore, *praejudicaretur tertio, cui jus est quaesitum, et esset quidem sub fide, et judiciali auctoritate emptorem decipere*, ut inquit de Rosa (*b*); ideoque sine laesione non esse revocandam primam alienationem factam, etiamsi de Ecclesia agatur, concludit, et decisionibus comprobat. Totam hanc quaestionem paucis complectitur Cardinalis de Luca (*c*), dum ait, quod dicta major oblatio non admittitur, *primo ubi augmentum non est notabile: secundo ubi res non est integra: et tertio potissime ubi locatio facta est legitimis subhastationibus praecedentibus, atque congruo loco, et tempore.*

Res autem non dicitur integra, *si deventum esset ad executionem contractus*, ut inquit Cardinalis de Luca (*d*), nempe si tradita sit possessio, modo tamen contractus sit validus (*e*). Imo refert

I 3 Car-

(a) *Lib.* 1. *cap.* 147. *n.* 23.
(b) *In praxi civil. decret. cap.* 1. *pag.* 10. *n.* 28.
(c) *De regalibus disc.* 81. *n.* 12.
(d) *De regal. disc.* 81. *n.* 12. *vers. et licet.* De Marin. *dict. resol. jur. cap.* 147. *n.* 9. *et* 13.
(e) Card. de Luca *loc. cit. n.* 12. *vers. editis motivis, in fine*; et *de locat., et conduct. disc.* 46. *n.* 10.

Digitized by Google

Cardinalis de Luca (a), quod in *Veliterna Appaltus Furni* pro Stephano Gasparino cum Communitate civitatis Veliternae fuit decisum a Sacra Congregatione boni regiminis, non esse locum novis oblationibus factis, licet dies appaltus nondum cessisset: *quia appaltator* (sunt verba auctoris) *cum opera, et diligentia tam propria, quam eorum, qui erant appaltus participes, fortius vero cum opportunitate temporis, et promtitudine pecuniae numeratae, congruas provisiones frumenti, ut supra, fecerat cum sumptibus repositionis in horreis opportunus pro hujusmodi furnorum usu;* ideoque res non erat integra, licet nondum tradita possessio esset: et *est motivum* (subjicit ipse (b)) *omnino juridicum, et nimium naturale, quod revera fuit potissima causa resolutionis*. Et ita quoque decisum fuisse refert (c) in *Senogaliensi bonorum* inter Comitem Corradum Marazzano cum fratribus de Passioneis coram Thesaurario. Deinde subjicit: *Ubi etiam huic adjectioni locus esse deberet, adhuc tamen ex illa justitia, et aequitate, quas prae ceteris, et supra privatos Ecclesia profiteri tenetur, reficere deberet emptori totum id, quod interest tam ratione cambii, seu traductionis pecuniae de loco ad locum, quam etiam ratione interesusuriorum, istaque damna, et interesse plus forte importabant, quam importaret ipsa nova oblatio*.

Augmentum autem dicitur notabile, si non sit *quid modicum in jure non considerabile*, ut inquit idem

(a) *De locat., et conduct. disc.* 46. *n.* 1. *et* 7.
(b) *Loc. cit. n.* 7.
(c) *De alienat. disc.* 52. *n.* 11.

Digitized by Google

idem Cardinalis de Luca (*a*), loquens de parte pretii inferiore centeſima; *quia magis recepta concluſio eſt* (inquit de Marinis (*b*)) *minorem non reſtitui, niſi ex magna cauſa damni, vel lucri: nam quod non ex minima, receptiſſimum eſt; quod ſufficiat modica, eſt communis concluſio; quod nonniſi magna, eſt magis communis*. Deinde loquens (*c*) de trigeſima parte pretii dicit, non eſſe *magnam cauſam ad reſtituendum Fiſcum, vel minorem*, praeſertim ſi non de laeſione in dicta trigeſima parte, ſed de lucro agatur, ut docet ipſe (*d*), qui deinde ex aliorum quoque doctorum ſententia concludit: *Plane, quae magna, vel modica laeſio dicatur, prudentiae Judicis relictum eſt*. Et teſtatur in locatione jurium ſalis Provinciae Hydruntinae fuiſſe, *cauſa ſolemniter diſcuſſa*, admiſſam majorem oblationem ducatorum mille ſupra triginta duo millia antea oblata, *duobus maxime perpenſis* (ut ſubjicit ipſe), *et quantitatem mille ducatorum grandem eſſe per ſe conſideratam juxta celebrem Covaruviae opinionem lib. 1. cap. 3. n. 11. vers. ego ſane, et rem integram eſſe, ideſt poſſeſſionem non eſſe traditam*.

Quaeritur vero, utrum poſt noviſſimam Pragmaticam, de qua mox loquar, dicta major oblatio, puta decimae ante captam poſſeſſionem, vel ſextae poſt captam poſſeſſionem, eſſe debeat decima, vel ſexta pars mercedis, ſeu penſionis a priore con-

 du-

(a) *De regalibus diſc. 81. n. 12. vers. et ideo.*
(b) *Reſol. jur. lib. 1. cap. 147. n. 20. vers. denique.*
(c) *Vers. ſeq. at hic.*
(d) *Loc. cit. vers. at hic.*

ductore oblatae pro integro tempore conductionis, an pro rata cujusque anni. Et Capycius Latro (*a*), et de Marinis (*b*) decisum esse referunt *re plenissime discussa*, ut inquit idem de Marinis (*c*), ut sit decima, vel sexta pars speratae mercedis, seu pensionis cujusque anni, licet aliter doctores doceant, jure communi tantum inspecto (*d*).

Cur denique major oblatio non recipiatur, si prior oblatio legitimis subhastationibus praecedentibus, atque congruo loco, et tempore facta sit, rationem hanc subjicit Cardinalis de Luca (*e*), nempe quia *tunc de animositate, vel aemulatione suspectae videntur novae oblationes, quae ab initio fieri poterant, dum ignorantia non valet allegari*: ex quibus verbis satis aperte patet dictam rationem animositati, et aemulationi esse innixam. Itaque si aliqua probatio accedat, quae dictam aemulationem excludat, de facto cessat praesumtio, ut ego opinor, apposite ad *dict. l. ait praetor §. quaesitum*, quae concedit restitutionem minori, ut post primam licitationem factam *rursum admittatur licitatio*, cum, si licitatione non obstante minor notabiliter laesus fuerit, circumspecte semper, ut verbis utar Ulpiani in dicta lege, fieri dicatur secunda licitatio, nempe admittatur nova major oblatio. Et sic intelligendam

(a) *Dec.* 159.
(b) *Resolut. jur. cap.* 147. *n.* 9. *vers. cetera*, *et vers. sed cum*.
(c) *Loc. cit. vers. sed cum*.
(d) Card. de Luca *de alien. disc.* 52. *n.* 11.
(e) *De regal. disc.* 201. *n.* 8. *vers. his tamen non obstantibus*.

Digitized by Google

dam esse existimo opinionem, quam *magis communem* Cardinalis de Luca (*a*) appellat, ut adhibitis dictis solemnitatibus addictio in diem non admittatur. Dixi, *notabiliter*, nempe si laesio sit ultra sextam, ut ex aliorum doctorum sententia concludit de Rosa (*b*). Hinc Arias de Mesa (*c*) indistincte docuit tum adjectionem in diem admitti, cum *tempore contractus laesio interveniat, aut per sordes, aut per gratiam res sit addicta, aut tempore contractus extet major licitator: in quibus terminis* (subjicit ipse) *procedit sententia dictae leg. ait praetor 7. §. quaesitum ff. de minor.*. Vide eumdem Ariam de Mesa *dict. lib.* 2. *resol. cap.* 20., ubi late, et docte hanc materiam pertractat.

Terminus vero, in quo admitti nova oblatio potest, est viginti dierum, nempe ille terminus, qui a jure in *dict. auth. hoc jus porrectum, de Sacrosanct. Eccles.* fuit praescriptus pro hasta fiscali, ut existimavit glossa in *l. si tempora Cod. de fid. et jur. hast. fiscal., et de adjectionib.*, quam communiter secuti sunt doctores (*d*); nempe *tempus, quod superest*, ut inquit ipse Arias de Mesa (*e*), si nondum lapso termino viginti dierum a dicta authentica praescripto, bona minoris, aut Ecclesiae alienentur. Itaque recipitur secunda major oblatio *intra dictum tempus, quod superest de termino*,

(a) *De regalibus disc.* 201. *n.* 8.
(b) *In praxi civil. decret. cap.* 1. *pag.* 10. *n.* 28.
(c) *Variar. resol. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 19.
(d) Ap. de Marinis *resol. jur. lib.* 1. *cap.* 147. *n.* 15., *et* 25.
(e) *Loc. cit. n.* 11.

Digitized by Google

no, alterius plus offerentis, ut docet idem de Marinis (*a*); nempe de dicto termino viginti dierum ab authentica praescripto.

Haec plane sunt, quae doctores confuse tradunt in hac materia adjectionis in diem. Verum testatur Muscatellus (*b*) in praxi indistincte admitti novam licitationem in rebus Ecclesiae, aut minorum; ubi tamen dicta praxis innitatur, non video. Et ita fuisse decisum a Tribunali Rev. Fabricae super oblatione sextae facta in venditione cujusdam domus eidem Rev. Fabricae addictae refert de Rosa (*c*). Quae tamen praxis admittendi dictam oblationem sextae pendet ab alio jure, ut subjicit idem de Rosa, nempe a Pragmatica 71, *de officio Procuratoris Caesaris* lata an. 1631., quae sanxit in locatione rerum fiscalium (et idem obtinet in alienationibus (*d*)) admittendam esse oblationem decimae, nempe decimae partis pensionis cujusque anni, intra quadraginta dies ante possessionem rei licitatae, et oblationem sextae post captam possessionem infra tres menses. Qua ad alienationes, et locationes rerum minorum, et Ecclesiae, quoque producta, ubique in foro tam ecclesiastico, quam laico receptum est, ut pro minoribus, Ecclesiis, aliisque locis piis, admittatur oblatio quartae infra quadraginta dies ante captam pos-

(a) *Lib.* 1. *cap.* 147. *n.* 25.
(b) *P.* 3. *lib.* 2. *gloss. venduntur n.* 57.
(c) *In praxi civil. decret. cap.* 1. *pag.* 10. *n.* 23.
(d) Arias de Mesa *resol. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 20., *et* 21.. De Rosa *loc. cit.*

Digitized by Google

possessionem, et sextae infra tres menses post captam possessionem: et praeterea admittatur altera oblatio, quarta, aut sexta minor, si fiat *incontinenti*, prout servatur praesertim in Curia Archiepiscopali Neapolitana, nempe immediate post extinctam candelam, aut intra paucos dies, puta duos, vel tres dies, juxta terminum pro dicta oblatione *incontinenti*, qui praefinitur ab ipso Judice praesentibus oblatoribus statim extincta candela, et ita passim servari in S. Cons. Neapolitano testatur Maradei (*a*). Vide eumdem Maradei in *observat. ad singul.* 214., ubi late quoque pertractat quaestionem, num in oblatione dictae quartae, aut sextae admittenda sit praelatio prioris oblatoris sine nova accensione candelae.

Ut ut vero sit, dictae quartae, aut sextae oblationem numquam admittendam censeo, nisi auditis prius tam Rectore, seu beneficiato Ecclesiae, cujus res alienatur, aut locatur, quam emptore, aut conductore. Et refert Cardinalis de Luca (*b*) in *Romana Appaltus lignorum* inter Hospitale S. Sixti, et Venantium majorem oblatorem cum Antonio Scaronio, et sociis, ipsum uti Judicem dicti Hospitalis, habito colloquio cum Gubernatoribus in Congregatione, decrevisse *per modum provisionis, et sine praejudicio jurium partium affigi edicta pro nova* ac-

(a) *In observat. ad singul.* 214., *et ad Pragmat.* 1. *de loc. et conduct.*, *et ad Pragmat.* 71. *de offic. Procurat. Caes. n.* 30.

(b) *De regul. disc.* 81. *n.* 1. *vers. die* 30. *ejusdem mensis*.

by Google

accensione candelae certis die, hora, et loco facienda; et recipi oblationes ad effectum, ut de eis haberetur ea ratio, quae de jure habenda erit.

Hujusmodi oblationes, seu adjectiones in diem ego semper recepi cum clausulis, *citra praejudicium jurium partium, aut sic, et in quantum, et prout de jure*, decernendo, ut intimaretur Rectori, seu beneficiato, et primo oblatori. Deinde auditis partibus novam oblationem admisi, aut rejeci, prout de jure, dum hujusmodi controversias in foro ecclesiastico agi usus obtinebat; quas hodie in foro laico, et apud magistratum regium fieri, etiam quoad assensum in alienationibus bonorum Ecclesiae, mutata Regni Politia instituit. Novissimis etiam Regni constitutionibus hodie emphyteusis ecclesiastica, licet pacto contrahentium fuerit ad tempus constituta, perpetua est.

CA-

CAPUT XV.

De reparandis, reconsecrandis, et reconciliandis Eccleſiis.

BEneficiatos, ſeu Rectores beneficiorum teneri ad reparationem Eccleſiarum, etiam Parochialium, expreſſe ſanxit Alexander III. in *cap.* 4. *de Eccleſ. aedificand.* poſt Concilium Moguntinum, quod refert in *cap.* 1. *eod. tit.*: hinc concludunt communiter Interpretes, eos, qui quodvis beneficium obtinuerint, ad reparationem ſuarum Eccleſiarum omnino teneri. Hinc pariter processit decretum Tridentini *ſeſs.* 21. *de ref. cap.* 7., quo ſtatutum fuit, ut Epiſcopi *Parochiales Eccleſias collapſas inſtaurari procurent ex fructibus, et proventibus . . ., qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes patronos, et alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant*, Magiſtratus nempe laici auctoritate, ſi patroni ſint laici, aut cogendi ſint Parochiani ad reparationem Eccleſiarum Parochialium, prout de conſuetudine Belgica refert Wan-Eſpenius (*a*), a qua non differt hujus Regni politia. Nam cum jure communi in *dict. cap.* 4. *de Eccleſiis aedificandis*, ii, qui Parochiales Eccleſias habent, eas reparare teneantur de bonis ipſarum Eccleſiarum, *ſi eis ſuperſint*, decrevit Tridentinum *eod. loc. cit.* in

(a) *Tom.* 2. *P.* 2. *ſect.* 2. *tit.* 1. *cap.* 6. *n.* 23.

in eorum defectum ad reparationem teneri *Parochianos*.

Et quidem Parochos ad dictam reparationem non teneri, si de bonis suarum Ecclesiarum nihil percipiant praeter solam pastoralem competentiam, seu portionem congruam, communis tradit Canonistarum doctrina, et Ecclesiarum usus obtinet, quam testatur Wan-Espenius (*a*). Vide quae opportune supra dixi de decimis, et congrua Parochorum portione pro fori ecclesiastici notitia in cogendo Parochos ad suarum Ecclesiarum reparationem. Verum non solum beneficiati, qui beneficia in dictis Ecclesiis habent, sed et omnes, qui proventus ex eisdem Ecclesiis percipiunt, ad ipsarum Ecclesiarum reparationem tenentur, prout sunt Monasteria, et Capitula, quae decimas, aliosque proventus ab aliqua Ecclesia percipiunt, licet ibi nullum beneficium habeant (*b*).

Cum Concilium de Ecclesiarum quoque patronis meminerit, hinc communiter deducunt Canonistae (*c*), quod ad reparationem primo loco tenentur beneficiati; cum vero Ecclesiarum fructus, seu proventus non sufficiant, tenentur secundo loco patroni. At inter beneficiatos recensentur quoque Parochi, ut antea dixi, cum et ipsi ad suarum Ecclesiarum reparationem teneantur; nisi aliter ferat consuetudo legi-

---

(a) *Loc. cit. cap. 6. n.* 10.

(b) Wan-Espen. *loc. cit. n.* 11.

(c) Ap. Fargna *P. 5. can. 4. cas.* 1. *n.* 9., *et* 11., Gonzalez *in cap.* 1. *de Ecclesiis aedificand. n.* 6. *ad* 9.

gitime praescripta (*a*), aut particularis contractus, aut concordatum, nempe ut alii teneantur, juxta usum variarum Ecclesiarum, quem testatur Zypaeus relatus ab eodem Wan-Espenio (*b*); et docet quotidiana praxis nostrarum Ecclesiarum Parochialium, quae ab Universitatibus locorum, ut plurimum, reficiuntur. Obligatio vero patronorum, ut teneantur ad reparationem in defectum Parochorum, oritur ex Tridentino *loc. cit.*, quod omnium primum de obligatione patronorum circa refectionem Parochiarum loquitur, cum ante Tridentinum solus beneficiatus ad eam teneretur, ut recte animadvertit Fargna (*c*).

Ad refectionem Ecclesiae Cathedralis tenetur Episcopus simul cum Canonicis, ut ad *cap. fin. de his, quae fiunt a majori parte Capituli*, docuerunt communiter Canonistae (*d*). Verum consuetudo obtinet, ut refectio fiat ab Episcopo. Rustici quoque tenentur ad reparationem Capellae pro eorum commodo constructae, nisi velint ad Ecclesiam Parochialem accedere. Cui tamen obligationi reparandi Capellam neque per dictum accessum ad Ecclesiam Parochialem derogari potest, si Capella fuerit constructa ex justa causa, puta ad vitandum periculum animarum ob ejusdem Parochialis distantiam, ut animadvertit Peckhius (*e*). Cum vero

(a) Gonzalez *loc. cit. n.* 7.. Fargna *loc. cit. n.* 9. Wan-Espen. *loc. cit. cap. 6. n.* 25.

(b) *Loc. cit. n.* 26.

(c) *De jurepatr. loc. cit. n.* 3.. Surdus *lib.* 1. *cons.* 62. *n.* 1. 8. *et* 16.

(d) Ap. Gonzalez *in comment. ad cap.* 1. *de Eccles. aedificand. lib.* 3. *tit.* 48. *n.* 7., *et* 8.

(e) *In tractat. de reparand. Eccles. cap.* 24.

vero ipsi sint impotentes, docet Wan-Espenius (a) ad reparationem teneri decimatores, seu Parochos, qui hodie decimas exigunt, ex *cap.* 3. *de Eccles. aedific.*, quo nova Ecclesia, vel nova Capella ex decimis videtur restauranda.

Ob eamdem causam, nempe *si ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt*, ut inquit Tridentinum *sess.* 21. *de ref. cap.* 4., permisit Tridentinum erectionem novae Parochiae ab Episcopo faciendam, sive etiam ob alias causas, quae ad salutem populi novae Parochiae erectionem requirat, ut tradit Wan-Espenius in *additione* (b), cum sit *potius quaestio nudi facti ex singulorum casuum particulari qualitate, ac individuis circumstantiis decidenda*, ut inquit Cardinalis de Luca (c). Neque magna distantia, aut viarum discrimen, vel alia causa absolute gravis, puta si Parochiani aliquando sine Sacramentis decesserint, ad hoc requiritur, ut docet Fagnanus (d); sed sufficit talis causa, ut sine magno incommodo, praesertim hyemali tempore ob flumen, aut torrentem, etiam seclusa distantia, aut sine magna difficultate percipiendi Sacramenta, aut sine imminenti periculo decedendi sine Sacramentis, quod ad Judicis arbitrium decidendum remittitur, ad majorem Ecclesiam accedere nequeant. Et ita censuisse Rotam Romanam, ac

(a) *Loc. cit. n.* 19.
(b) *Tom.* 2. *P.* 2. *sect.* 2. *tit.* 1. *cap.* 3. *n.* 13.
(c) *In annotat. ad S. C. T. disc.* 16. *n.* 2.
(d) *Ad cap.* 3. *de Eccl. aedif. n.* 18.

ac Sacram Congregationem refert idem Fagnanus (*a*) : citatis tamen prius Ecclesiae Rectore, patronis ejusdem Ecclesiae, incolis, aliisque interesse habentibus, ac servatis servandis, ne aliter facta erectio irrita sit, ut ab eadem Congregatione fuisse decisum refert idem Fagnanus (*b*). Ipsis tamen injuste dissentientibus, licet nihilominus Episcopo erectionem facere *appellationis cessante diffugio*, ut aperte definitur in *cap.* 3. *de Eccles. aedificand.*, et ad *id. cap.* docent Canonistae communiter (*c*).

Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus . . . . , quacumque reservatione generali, vel speciali, vel affectione super dictis Ecclesiis non obstantibus, ut subdit Tridentinum *loc. cit.*; *servato tamen competenti honore* Ecclesiae matrici, ut pariter definitur in *dict. cap.* 3. innovato per Tridentinum *loc. cit.*, puta per annuam aliquam praestationem in signum subjectionis, ut ait glossa ad *id. cap.*; sive *aliis honoribus matrici Ecclesiae reservatis*, in ipsa erectione, ut ait Johannes Andreas ad *id. cap.* . Quoniam dictis juribus in limine erectionis specialiter non reservatis, nulla subjectionis jura illi debentur a nova Parochia erecta, ut docent Abbas, et Fagnanus ad *id. cap.*, quibus consentit Wan-Espenius (*d*). Quod maxime animadvertendum pro notitia

(a) *Loc. cit.*
(b) *Loc. cit. n.* 30.
(c) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 19.
(d) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 24.

titia fori ecclesiastici, cum non rarae sint quaestiones de praeeminentiis Ecclesiarum Parochialium, seu potius Archipresbyteralium super Ecclesiis etiam curatis.

Si nova Parochia erigi nequeat, vult saltem Tridentinum, ut ad curam animarum addantur tot Sacerdotes, quot necessarii videntur, aut erigatur Capella cum deputatione alicujus Sacerdotis, qui onus sustineat curae animarum, si ob causam distantiae, viarum, aut periculi, ne parochiani sine Sacramentis decedant, id necessarium Episcopo videatur, prout servatur in praxi, et pluries placuit Sacrae Congregationi, ut refert idem Fagnanus (*a*). Compelli vero populum ab Episcopo, ut subministret mercedem Parocho Ecclesiae noviter erectae juxta decretum Tridentini in *dict. sess.* 21. *de ref. cap.* 4., vetat civilis hujus Regni politia.

Quod de obligatione patronorum dixi circa reparationem Ecclesiarum, si proventus beneficiorum sint insufficientes, intelligendum est cum limitatione, nisi sint insufficientes ex culpa beneficiati (*b*); et quod de reparatione dictum est, ut in subsidium teneantur patroni, intelligendum etiam de expensis pro tuendis bonis, aut juribus beneficii (*c*); nam Ecclesia aequiparatur pupillo, et civitati, ut sanxit Imperator Alexander in *l. rempublicam Cod. de jur. reip.*. Hinc quoque manat, ut sicut Tutores, et Decuriones tueri pupillum, ac civitatem tenentur expensis ejusdem pupilli, ac ci-

(a) *Loc. cit. n.* 17.
(b) Fargna *P.* 5. *can.* 4. *cas.* 1. *n.* 11.. Gonzalez *ad cap.* 1. *de Eccles. aedific. n.* 8. *in fin.*
(c) Fargna *P.* 1. *can.* 4. *cas.* 3. *n.* 7.

civitatis, ut inquit Callistratus in *l. a tutoribus* 33. *ff. de administr., et pericul. tutor.* §. 3.; ita patroni tenentur tueri Ecclesias suo patronatui subjectas expensis ejusdem Ecclesiae, si supersint, in subsidium tamen, et in defectum, aut negligentiam Rectorum ipsarum Ecclesiarum, cum jus tuendi Ecclesias, aut agendi pro suis causis primo loco spectet ad Rectores (*a*).

In qua tamen quaestione ita distinguit Sperellus (*b*); nempe quod aut patronus tempore fundationis dedit dotem sufficientem, et tunc nunquam tenetur Ecclesiam reparare; aut dotem dedit insufficientem, seu parvam, et tenetur suis sumtibus Ecclesiam reparare: ut in praxi se servasse, et fuisse per Rotam decisum refert Pitonus (*c*), qui id intelligendum esse docet in sola Ecclesiae restauratione, quam distinguit a *totali reaedificatione*. Nam si de totali agatur reaedificatione, onus est patroni, non Rectoris, seu beneficiati, etiamsi in fundatione dotem sufficientem assignaverit, ut ipse tradit ex doctorum auctoritatibus, Rotaeque Romanae decisionibus (*d*).

Destructa, seu solo aequata Ecclesia ad finem eam ampliandi, et in meliorem structuram redigendi, si ibi aliquis patronus Capellam habeat, tenetur ipse integre illam reaedificare secundum structuram, et ordinationem ejusdem novae Ecclesiae aedificatae, ut ex doctrina Cardinalis de

 Lu-

(a) Fargna *loc. cit. cas.* 1. *n.* 7., *et seq.*
(b) *Dec.* 68. *n.* 11.
(c) *Alleg.* 100. *n.* 179.
(d) *Loc. cit. n.* 180.

Luca de *jurep. disc.* 84. scribit Fargna (*a*). Quam tamen ita temperat Pitonus (*b*), nempe ut tum teneatur, cum Ecclesia non ampliatur, sed in meliorem formam reaedificatur, modo reaedificatio sit necessaria, quia *incongruum est* (ut ipse ait) *praetendere, quod nova structura debeat esse rudis, et sine illo ornamento, et elegantia, quam secum fert moderna architectura*, juxta decisionem Sacrae Congregationis Concilii ab ipso relatam: non autem, si concurrente etiam necessitate reaedificationis, et justa quoque causa, in ampliorem formam redigatur, cum tunc teneatur ad illam dumtaxat expensam, quae esset necessaria ad reaedificationem, et ornatum Ecclesiae juxta antiquam, non juxta novam structuram, ne duplo, aut triplo majore expensa gravetur; ideoque ad reliquas expensas tenetur ille, cui onus incumbit aedificationis ejusdem Ecclesiae.

De nova autem consecratione Ecclesiae, vel altaris ita respondit Innocentius III. in *cap. 6. de consecrat. Eccles.*: *Cum parietes in sua integritate permanserint, et tabula altaris mota, vel enormiter laesa non fuerit, ob causam praedictam nec Ecclesia, nec altare debet denuo consecrari*. Igitur, si Ecclesia sit eadem moraliter, etiamsi physice non sit eadem, puta quia frequenter, et in tot ejus partibus fuit restaurata, ut totum aedificium sit per partes renovatum, nova non indiget consecratione, ut post alios docet Barbosa (*c*); quorum tamen do-

---

(a) *P. 1. can. 4. cas. 5. n. 1.*
(b) *Alleg. 12. n. 29.*
(c) *De offic. Episc. P. 2. alleg. 27.*

Digitized by Google

doctrinam limitat Antonellus (*a*) in casu, quo pars addita sit major. Possunt vero consecrari *Ecclesiae, vel altaria, quae ambigua sunt de consecratione*, ut definitur in *can.* 18. *de consecr. dist.* 1. *in tertia parte Decreti*, nempe quando de *consecratione ambigitur*, ut explicat glossa ad *eumd. can. verb. quae ambigua, litt. E.* (*b*). Non solum *si tabula altaris mota, vel enormiter laesa non fuerit*, verum etiam si *altare motum fuerit etc., Ecclesia propter hoc nequaquam suam consuevit consecrationem iterare*, ut inquit Alexander III. in *cap.* 1. *de consecrat. Eccles.*, sed altare solum denuo consecrari debet.

Sublata igitur quaestione, quae vigebat saeculo VI., num per motionem, aut destructionem altaris Ecclesia iterum esset consecranda, hodie recepta est dicta decretalis Alexandri III. in *cap.* 1. *de consecrat.*, ut nova consecratione non indigeat: quae disciplina satis explicatur ex ipso ritu consecrationis Ecclesiae plane diverso a ritu consecrationis altaris, ut recte notat Wan-Espenius (*c*). Ut igitur Ecclesia indigeat nova consecratione, oportet, ut integre, aut in majore saltem parte corruat, aut destruatur, ut tradit glossa communiter recepta ad *cap. de fabrica, verb. innovata, de consecrat. dist.* 1. *in tertia parte Decreti*, et glossa in *cap. proposuisti, verb. reconciliavi, litt. I. de consecrat. Eccles.*: aut si Ecclesiae parietes integre, vel in majori parte ita comburantur, ut aut destructae remaneant, aut decrustatae, ut definitur in *cap. Ecclesiis, verb.* exu-

(a) *Lib.* 1. *cap. ult. n.* 3. *in fine*.

(b) Wan-Espen. *Tom.* 2. *P.* 2. *sect.* 2. *tit.* 1. *cap.* 5. *num.* 7.

(c) *Loc. cit. n.* 9. 10., *et* 11.

exustae, de consecrat. dist. 1. *in tertia parte*, et docet glossa in *eod. cap. proposuisti*, et post glossam ad utrumque *cap.* docent doctores communiter (*a*). Parietibus vero in suo antiquo statu integre vel in majori saltem parte manentibus, etiamsi tectum corruat, aut comburatur, Ecclesia nova non indiget consecratione, ut tradit eadem glossa in *eod. cap. proposuisti, loc. cit.*, et in *cap. ligneis, de consecrat. Eccles.* Vide Antonellum *de regim. Eccl. lib.* 1. *cap. ult. n.* 2.

Frequentior est Ecclesiae reconciliatio ob ejus pollutionem ad exemplum solemnis reconciliationis poenitentium, per quam figuratur reconciliatio peccatoris, ut *videntes laici Ecclesiam sic lavari, quae non peccavit, cogitent intra se, quantum pro lavatione peccatorum laborandum sit*, uti notat Glossographus ad *cap. unic. de consecrat. Ecceles. in VI. verb. pollui*. Ideo fit per aspersorium de herba hyssopi juxta illud Psalmistae (*b*): *Asperges me hyssopo, et mundabor*; cum aqua vino, et cinere mixta, benedicta ab Episcopo, non a simplici Sacerdote, cui dicta benedictio fuit expresse prohibita, etiam ex delegatione Episcopi, a Gregorio IX. in *cap.* 9. *de consecrat. Eccles.*, quia Episcopus, *quae Ordinis Episcopalis sunt*, *non potest inferioris gradus clericis demandare*, ut ibi Gregorius ait: modo agatur de reconciliatione Ecclesiae consecratae,

(a) Ap. Barbos. *de offic. Episcop. P.* 2. *alleg.* 27. *n.* 13, *et* 18.. Antonell. *lib.* 1. *cap. ult, n.* 1.
(b) *Psalm.* 50. *v.* 8.

tae, ut communi calculo tradunt Canonistae (*a*).

At benedictio Ecclesiae non consecratae, sed tantum benedictae fit aqua dumtaxat benedicta, ut expresse definitur in *cap. fin. de consecr. Eccles.*, non solum ab Episcopo, sed etiam a simplici Sacerdote de Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis licentia, uti docet glossa ad *id. cap.* communiter recepta (*b*), et servat praxis omnium curiarum ecclesiasticarum, quae hujusmodi benedictionem Ecclesiae pollutae non consecratae simplicibus Sacerdotibus passim committunt; et in dubio numquam praesumitur consecrata, ut definitur in *cap. solemnitates, de consecrat. distinct.* 1. *in tertia parte Decreti*. Quod intelligendum (inquit Riccius (*c*)) de Ecclesiis inferioribus, non de Ecclesia Cathedrali, quae in dubio praesumitur consecrata; ideoque indiget reconciliatione Episcopi, si polluatur.

Ea vero ita necessaria est, ut ante benedictionem, vel reconciliationem celebratio divinorum officiorum, aut missae de jure sit interdicta in *cap. fin. de consecr. Eccles.*, in *cap.* 11. *de privileg.*, et in *cap.* 18. *de sent. excom. in VI.*, in quibus cum expresse benedictio demandetur, minus probabilis videtur fere communis doctorum opinio, quam Antonellus refert (*c*), ut Ecclesia re-

(a) Ap. Wan-Espen. *Tom.* 2. *P.* 2. *sect.* 2. *tit.* 1. *cap.* 5. *n.* 21.

(b) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. n.* 26.. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 15., *et* 17.

(c) *In prax. for. Eccles. P.* 1. *resol.* 479.

(d) *Loc. cit. n.* 14.

conciliata remaneat per sacrum ibi bona fide factum. Quod recte animadvertit Barbosa, quem refert ipse Antonellus (*a*), apposite ad *cap. significasti, de adulter.*, ubi in casu adulterii occulte commissi a quodam Sacerdote in Ecclesia, cum deinde publicum factum fuerit ex publica confessione ipsius mulieris adulterae, decrevit Pontifex, ut reconciliaretur uti polluta Ecclesia, in qua certe non semel, sed saepe sacrum factum fuerat toto eo tempore, quo pollutio occulta fuit. Ideo divinorum officiorum, aut missae celebratio fieri nequit ante benedictionem: facta tamen etiam scienter nullam inducit irregularitatem, *cum id non sit expressum in jure*, ut inquit Bonifacius VIII. in *dict. cap.* 18. *de sentent. excom. in VI.*. Quae quidem doctrina communiter recepta est, rejecta paucorum doctorum sententia omni prorsus probabilitate destituta, ut inducat irregularitatem, aut interdictum ab ingressu Ecclesiae, vel suspensionem (*b*).

Polluitur autem Ecclesia primo sanguinis effusione, ut ait idem Bonifacius VIII. in *cap. un. de consecr. Eccles. in VI.*, post Innocentium III. in *dict. cap. proposuisti*, et Gregorium IX. in *cap. fin. de consecrat. Eccles.*, nempe *injuriosa, et voluntaria humani sanguinis effusione*, ut explicant communiter doctores (*c*), et Ecclesiae praxis. Itaque cum in Ec-

(a) *Loc. cit. n.* 11. *in fine*.
(b) Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 19., *et* 20.
(c) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. n.* 13.. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 13.

Digitized by Google

Ecclesiae profanatione praecipue locum habeat ipsum crimen, docet post alios Barbosa (*a*), quod si sanguinis effusio fiat ex naribus ob percussionem factam in rixa inter pueros, Ecclesia reconciliatione non indiget, cum crimen dicatur leve: neque indiget reconciliatione, si desit *sanguinis effusio* nempe abundantia, seu copiosus fluxus sanguinis, etiamsi percussio sit enormis, prout communiter receptum est (*b*), quidquid contra dixerit Antonellus (*c*), qui asserit, sufficere ad Ecclesiae pollutionem vel modicam sanguinis effusionem, modo non sit una, vel altera sanguinis gutta, quia effusio non semper denotat abundantiam. Polluitur quoque ex vulnere in Ecclesia inflicto, etiam sine sanguinis effusione, si sequatur mors vulnerati, quia hic casus fuit expresse exceptus in *dict. cap. proposuisti, de consecrat. Eccles.*, etiamsi mors obtigerit extra Ecclesiam: at contra Ecclesia non polluitur, si vulneratus extra Ecclesiam sanguinem effunderet, aut moreretur in Ecclesia, quia ad Ecclesiae pollutionem requiritur, ut crimen in Ecclesia commissum sit (*d*).

Inflicto tamen vulnere intra Ecclesiam, si sanguis per se, aut aliquo instrumento, puta si ex

tu-

(a) *De off. Episcop. alleg.* 28. *n.* 36.. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 14.

(b) Wan-Espen. *loc. cit. n.* 15.. Antoine *in theolog. moral. in tractat. de Eucharist. qu.* 8. *vers. resp.* 2.

(c) *Loc. cit. cap.* 16. *n.* 14.

(d) Barbosa *loc. cit. n.* 23.. Wan-Espen. *loc. cit. n.* 17.. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 1., *et* 6.

Digitized by Google

tumore a percussione causato, et ferro aperto, effundatur extra Ecclesiam, Ecclesia non polluitur, ut recte animadvertit Barbosa (*a*). Hujus opinio mihi arridet, quidquid dixerit glossa in *cap. un. de consecr. Eccles. in VI. verb. sanguinis*, quam sequuntur doctores communiter (*b*); nam *dict. cap. un. de consecr. Eccles. in VI.*, et *cap. final. de consecr.* loquuntur de effusione, non de vulnere. Neque obstat ratio per ipsam desumta ex *dict. cap. proposuisti*, ubi Innocentius III. respondens Compostellano Archiepiscopo reconciliandam esse Ecclesiam, non de effusione sanguinis locutus fuit, sed quia *homicidia contingunt fieri interdum, et aliquando vulnera inferuntur*. Nam si ratio glossae valeret, etiam per vulnus illatum sine sanguinis effusione pollueretur Ecclesia, quod neque ipsi doctores, qui communiter dictam glossam sequuntur, admittunt, et esset aperte contrarium praxi Ecclesiae, quae per solum vulnus inflictum sine sanguinis effusione, et non secuto homicidio, Ecclesiam non reconciliat. Dicendum igitur, quod *dict. cap. proposuisti*, aut fuit abrogatum a dictis subsequentibus capitulis *sub eod. tit. de consecr. Eccles.*, aut juxta tenorem eorumdem subsequentium capitulorum fuit a constante Ecclesiae disciplina interpretatum, ut ego opinor, cum nullum inter decretalium interpretes adhuc invenerim, qui dicta saltem in littera discordentia capi-

(a) *P.* 2. *alleg.* 28. *n.* 24.
(b) Ap. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 2.

capitula ad concordiam revocaverit.

Polluitur secundo Ecclesia per voluntariam humani seminis effusionem, ut expresse definitur in *cap. fin. de consecr. Eccles.*, et in *cap. un. de consecr. in VI.*, modo seminis effusio intra Ecclesiam fiat (*a*). Polluitur autem Ecclesia, sive seminis effusio procedat ex copula illicita, sive procedat ex copula licita; nisi, ut alii dicunt (*b*), conjuges, qui diù in eadem Ecclesia manere coguntur, copulam occulto inter se habuerint ex legitima causa, puta ob periculum incontinentiae etiam alterius dumtaxat conjugum. Tertio polluitur ob ecclesiasticam sepulturam concessam defuncti alicujus corpori, qui de jure privatur ecclesiastica sepultura.

Polluta Ecclesia, etiam coemeterium, si fuerit contiguum, censetur pollutum: polluto autem coemeterio, non censetur polluta Ecclesia, ut expresse definitur in *dict. cap. un. de consecr. Eccles. in VI.*, sicut interdicta Ecclesia, censetur interdictum altare, sed interdicto altari non est interdicta Ecclesia. In quo pariter capitulo dicitur, quod, si duorum coemeteriorum sit alterum alteri medio pariete contiguum, altero polluto, non censetur pollutum alterum.

Verum, cum supra notaverim reconciliationem fieri ad instar solemnis poenitentiae, seu reconciliationis peccatoris, quae nonnisi in peccatore publico obtinet; ideo neque in Ecclesia polluta recon-

(a) Barbosa *de offic. Episcop. P.* 2. *allegat.* 28. *n.* 51.. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 5.

(b) Ap. Antonell. *loc. cit.*. Barbosa *loc. cit. n.* 48.

Digitized by Google

conciliatio obtinet, nisi et publica sit pollutio (a). *Et ideo* (inquit Antonellus (b)) *non dicitur Ecclesia polluta ad effectum, ut indigeat reconciliatione, si tres, aut quatuor testes id sciant, modo auctor criminis non sit accusatus in judicio*. Quando autem factum de jure dicatur publicum, seu notorium, vide, quae scripsi in Theorico-Practica *P.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 154., *et seqq.*

Requiritur praeterea, ut actio sit voluntaria, et injuriosa, ut supra innui, et docent doctores communiter, qui proinde dicunt Ecclesiam non pollui per percussionem, aut homicidium commissum ab aliquo ad sui justam defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, aut ab amente, aut a puero, qui usum rationis non habet, aut per humani seminis effusionem in somniis factam (c).

Denique requiritur, prout supra innui, ut fiat intra Ecclesiam, nempe in interna parte Ecclesiae a tecto interiore usque ad pavimentum, et circum circa a janua majore ejusdem Ecclesiae usque ad parietem altaris majoris. Itaque si fiat in janua Ecclesiae, vel coemeterii, Ecclesia dicitur polluta (d); non autem si fiat super, aut subter tectum Ecclesiae, aut in sacristia, in campanili, coemeterio, aut alio loco ejusdem Ecclesiae, sed separato per parietem a corpore Ecclesiae, licet januam habeat, seu aliam aperturam, per quam ingres-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. n.* 26.
(b) *Loc. cit. cap.* 16. *n.* 11.
(c) Ap. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 13. Barbosa *alleg.* 28. *n.* 2., *et* 45.
(d) Barbosa *P.* 2. *alleg.* 28. *n.* 24. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 12.

greſſus ad Eccleſiam pateat. Verum loca praedicta polluta remanent ob pollutionem Eccleſiae, quae deinde ob ſolam Eccleſiae reconciliationem ſine particulari eorumdem locorum reconciliatione reconciliata remanent (*a*): ideo non indigent alia reconciliatione, qua neque Eccleſia ipſa indiget, ſi non ſit conſecrata, aut benedicta, ut inquit Barboſa (*b*), quamvis ibi divina officia ſint celebrata. De cujus tamen opinione ſatis dubito, cum Eccleſia, ſive benedicta, ſive non benedicta, ſemper divino cultui dicata ſit: itaque alii (*c*) dicunt Eccleſiam, licet neque conſecratam, neque benedictam, indigere reconciliatione, ſi polluatur. Sub nomine vero Eccleſiae non comprehenduntur oratoria in domibus privatis exſiſtentia, quae proinde reconciliatione non indigent (*d*).

Iſta huic libro de beneficiis adnectere exiſtimavi, utpote quae ad beneficiati obligationem, et ad non rarum Epiſcoporum uſum pertinent; licet reconciliatio fieri debeat ſumtibus ejus, qui Eccleſiam polluit, ſi ſciatur (*e*).

Atque haec pauca delibaſſe ſufficiat de beneficiis, aliiſque neceſſariis, quae revera magis ad Eccle-

---

(a) Barboſa *alleg.* 27. *n.* 34.. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 12.. Ricc. *in prax. for. Eccles. P.* 1. *reſol.* 479.

(b) *In cap. tuarum, de privileg. n.* 10.. Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 12.

(c) Antoine *in theolog. moral. in tractatu de Euchariſtia*, *cap.* 3. *quaeſt.* 8. *obſerv.* 1.

(d) Antoine *loc. cit.*

(e) Antonell. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 18.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

PRIMAE PARTIS.

Littera C. indicat Caput, littera p. indicat paginam.

A.

ALienatio bonorum Ecclesiae, etiam jurispatronatus laici, jure prohibita est, et complectitur quamcumque bonorum distractionem, etiam mobilium pretiosiorum, totius gregis, et arborum frugiferarum, nisi sint silvae coeduae. *Cap.* 14. *pag.* 115., *et seq.*

Alienatio prohibita non complectitur animalia superflua, aut res, quae saltem triennio servando servari non possunt; neque complectitur patrimonium sacrum, si beneficium sufficiens clericus adeptus sit, aut aliunde habeat, unde vivat. *C.* 14. *p.* 116., *et seq.*

Alienatio patrimonii sacri, ut fiat, quaenam solemnia requirat. *C.* 14. *p.* 117.

Alienatio prohibita an transactionem complectatur, aut distractionem pecuniae, quae naturam non habet capitalis annui reditus, seu census consignativi. *C.* 14. *p.* 118., *et seq.*

Alienatio prohibita complectitur etiam locationem ultra triennium utile; et quid dicendum de locatione facta cum clausula, ut exacto quolibet triennio nova intelligatur facta locatio. *C.* 14. *p.* 120., *et seq.*

Alienatio prohibita complectitur etiam distractionem

Digitized by Google

nem utilis dominii, nisi sit res solita alienari, et quando dicitur solita alienari. *C.* 14. *p.* 126.
Alienatio fieri num possit ob Ecclesiae sive necessitatem, sive utilitatem; quibus solemniis; et qualis dicatur necessitas, aut utilitas sufficiens, ut alienatio fieri possit. *C.* 14. *p.* 126., *et seqq.*
Alienatio bonorum Ecclesiae num oblationem majorem admittat perfecto contractu, vel tradita possessione. *C.* 14. *p.* 131., *et seqq.*
Alienatio bonorum Ecclesiae civili Regni politia non fit sine regii magistratus assensu. *C.* 14. *p.* 140.
Annatae. V. *Canonici*.

B.

Beneficii definitio. *C.* 1. *p.* 1.
Beneficium datur propter officium, seu ministerium ecclesiasticum. *Ibid.*
Beneficiorum unio quorum beneficiorum, et cui Ecclesiae fieri possit. *C.* 1. *p.* 2.
Beneficium est perpetuum. *C.* 1. *p.* 3.
Beneficium inter, et legatum pium differentia. *Ibid.*
Beneficium indiget fundatione, et erectione in titulum, et in Regno Neapolitano regio assensu. *C.* 1. *p.* 3., *et seq.*
Beneficium olim ordinationi adnexum. *C.* 1. *p.* 4., *et seq.*
Beneficium, et feudum promiscue usurpantur. *C.* 2. *p.* 7.
Beneficiorum divisio, et origo. *C.* 2. *p.* 7., *et seq.*
Beneficia regularia, eorumque origo, et provisio. *C.* 4. *p.* 10., *et seq.*
Beneficia saecularia quibus conferantur. *C.* 5. *p.* 12.
Be-

Digitized by Google

Beneficia simplicia quaenam sint, et num plura beneficia simplicia uni conferri possint. *C. 6. p.* 12., *et seqq.*

Beneficiorum Parochialium onera; et quaenam justae causae sint absentiae Episcoporum, et Parochorum a residentia. *C.* 7. *p.* 17., *et seqq.*

Beneficiorum Parochialium onus, seu obligatio offerendi sacrificium pro populo diebus festis; et num paupertatis causa possint missae differri ad aliam diem intra hebdomadam. *C.* 7. *p.* 21.

Beneficia Parochialia praevio concursu conferuntur juxta formam a Tridentino praescriptam; quomodo, et quando concursus fieri debeat; et quomodo a judicio Examinatorum, aut electione ab Episcopo facta appelletur. *C.* 7. *p.* 23., *et seqq.*

Beneficio Parochiali vacante, Vicarius curatus constituitur pro cura animarum. *C.* 7. *p.* 35.

Beneficiorum collatio fieri nequit, nisi servatis aetate, et ordine ad beneficia secundum diversam beneficiorum qualitatem de jure requisitis. *C.* 9. *p.* 47., *et seqq.*

Beneficiorum collatio fieri nequit clericis non habentibus scientiam, aliaque sive a jure, sive a fundatione requisita sine legitima dispensatione. *C.* 10. *p.* 59., *et seqq.*

Beneficiorum resignatio, aut permutatio quando, et quomodo fieri possit; et num licitus sit regressus ad beneficium dimissum. *C.* 11. *p.* 64., *et seq.*

Beneficiorum unio quibus ex causis, et qua auctoritate fieri, aut dissolvi possit. *C.* 11. *p.* 71., *et seq.*

Bonorum Ecclesiae administratio olim, atque dispensatio. *C.* 2. *p.* 7.

C.

Canonicorum, obligatio quoad residentiam ; et quas ob causas , ac quanto tempore abesse possint ; et num necessaria sit Episcopi licentia. *C.* 8. *p.* 36., *et seq.*

Canonici non residentes qua poena plectantur. *C.* 8. *p.* 37.

Canonici absentes legitimas ob causas num lucrari possint distributiones quotidianas , aut manuales , vel massae grossae ; quaenam dicantur distributiones massae grossae ; et num debeantur absentibus ob justam causam. *C.* 8. *p.* 40. , *et seq.*

Canonicorum absentium distributiones num ipsis remitti a Canonicis praesentibus , aut inter se dividi possint. *C.* 8. *p.* 42., *et seq.*

Canonici tenentur offerre quotidie missas conventuales pro benefactoribus in genere. *C.* 8. *p.*45.

Canonici , aut Episcopi num in novorum Canonicorum possessione , seu *installatione* licite exigere possint *annatas* , vel *medias annatas* , ut vulgo nuncupantur , si in pias causas convertantur. *C.* 12. *p.* 86., *et seq.*

D.

Decimae , et oblationes Parocho , et Episcopo debitae. *C.* 13. *p.* 89., *et seq.*

Decretum erectionis in titulum. *C.* 1. *p.* 4.

Decretum unionis beneficiorum. *C.* 11. *p.* 78.

Dignitatum distinctio in *veras* , et *abusive* dictas dignitates , ita ut potius officium , quam beneficium dicantur. *C.* 1. *p.* 5.

Digitized by Google

E.

Ecclesia a quo, et ex quibus reditibus reparari debeat. *C.* 15. *p.* 141., *et seq.*
Ecclesia quando reparari debeat a patrono. *C.* 15. *p.* 142., *et seq.*
Ecclesia Parochialis a quo reparari debeat, si fructus beneficii Parochialis non sufficiant; vel a quo denuo erigenda sit. *C.* 15. *p.* 142., *et* 147.
Ecclesia quando reconsecrari debeat. *C.* 15. *p.* 148.
Ecclesiae pollutae reconciliatio quando, quomodo, et a quo facienda. *C.* 15. *p.* 150.
Ecclesia Cathedralis utrum in dubio censeatur consecrata, an tantummodo benedicta. *C.* 15. *p.* 151.
Ecclesia polluta num reconciliata dicatur ob sacrum bona fide factum ab aliquo Presbytero. *C.* 15. *p.* 151.
Ecclesia quando dicitur polluta. *C.* 15. *p.* 152., *et seq.*
Ecclesia num polluta dicatur, polluto coemeterio; aut viceversa num censeatur pollutum coemeterium, polluta Ecclesia. *C.* 15. *p.* 155.
Ecclesia num polluta sit, si causa pollutionis publica non sit. *C.* 15. *p.* 155.
Ecclesia num sit polluta, si causa pollutionis voluntaria non fuerit, et injuriosa. *C.* 15. *p.* 156.
Ecclesia num dicatur polluta, si causa pollutionis intus Ecclesiam posita non fuerit, sed dumtaxat in janua, campanili, sacristia, vel super, aut subter tectum Ecclesiae, sive in alio Ecclesiae loco separato per parietem a Corpore Ecclesiae; et cum polluta sint dicta Ecclesiae loca, num reconciliata censeantur per reconciliationem Ecclesiae. *C.* 15. *p.* 157.

Digitized by Google

Ecclesia num censeatur polluta , si antea benedicta non fuerit, aut sit Ecclesia privata, nempe privatum Oratorium. *C.* 15. *p.* 157.

Erectio novae Parochiae a quo fieri possit , qua de causa, cujus auctoritate ; et num fieri possit non servato honore Ecclesiae matricis. *C.* 15. *p.* 44., *et seq.*

F.

Feudum. V. *Beneficium.*

Fundatio. V. *Beneficium.*

G.

Grossae massae differentia a massa communi. V. *Canonici.*

H.

Honor Ecclesiae matricis. V. *Ecclesia.*

I.

Irregularis num quis dicatur per divinorum officiorum, aut missae celebrationem scienter factam in Ecclesia polluta. *C.* 15. *p.* 152.

L.

Locatio bonorum Ecclesiae. V. *Alienatio.*

Mis-

M.

Missa pro populo. V. *Beneficiorum Parochialium onera*.

N.

Natura, seu qualitas diversa beneficiorum. V. *Beneficiorum collatio*.

O.

Obligatio quando dividua dicitur, quando individua. C. 14. p. 121., *et seqq.*
Officium. V. *Beneficium*.

P.

Parochus habet jus sepeliendi cadaver ejus; cui vivo Sacramenta tribuit. C. 13. p. 106.
Parochus impedire non potest translationem ad propriam Parochiam cadaveris mortui in aliena Parochia, ubi manebat recreationis causa, aut ruralia exercens; neque ob dictam translationem exigere potest jus funeris. C. 13. p. 107., *et seq.*
Parochus ob funus alicujus habitantis intra fines duarum Parochiarum, non facta electione sepulturae, dividere debet jus funeris cum altero Parocho alterius Parochiae. C. 13. p. 108.
Parochus jus non habet sepeliendi in sua Parochia cadaver monachi, etiam oblati; sed cadaver sepeliri debet in Ecclesia monasterii. *Ibid.*
Parochus ob jura funeralia differre nequit sepulturam cadaveris, vel pignus accipere. C. 13. p. 110.

Pa-

Parochus impedire nequit electionem sepulturae; neque impedire potest, non electa etiam sepultura, ut quis sepeliatur in sepulchro majorum, aut viri, si defuncta fuerit uxor. *C.* 13. *p.* 111.

Parochus, facta etiam electione sepulturae, exigere potest jura funeralia. *Ibid.*

Parochus de obventionibus funerum portionem dare debet Episcopo, vulgo *canonicam portionem*, seu *quartam*. *C.* 13. *p.* 114.

Q.

Quarta. V. *Decimae*, *Parochus*.

R.

Ruralia exercens ubi sepeliri debeat. V. *Parochus*.

S.

Sepultura. V. *Parochus*.

T.

Titulus beneficii. V. *Decretum erectionis in titulum*.

U.

Unio beneficiorum. V. *Beneficium*.

Utile per inutile quando vitiatur. *C.* 14. *p.* 121., *et seqq.*

VA 1
1530684

Digitized by Google